Blochwit
Anatome
Sambuci

BLOCHWITZ, M.

Really London, 1650

ANATOMIA SAMBUCI,

QUÆ

Non ſolùm SAMBUCUM & hujuſdem

MEDICAMENTA

Singulatim delineat, verùm quoque plurimorum affectuum, ex una ferè ſolâ Sambuco curationes breves, rationibus, exemplis, Hiſtoriis & Medicamentis ſpecificis non paucis illuſtratas ſimul exhibet.

Authore

MARTINO BLOCHVVITIO

Med. Doctore & Phyſico Oſchatienſi Ordinàrio.

LIPSIÆ,

Sumptibus GOTHOFREDI GROSI Bibliop.

Anno M. DC. XXXI.

JOHAN. FERNELIUS
in Præfat. lib. 5. M. M.

Utinam, qui omnem ætatem discendis stirpium nomenclaturis conterunt, operam suam iis experiundis sedulò navarent. Ut in rebus cæteris, quæcunq; optimæ sunt habitæ, magno mortalium usu retinentur; aliæ verò tempore exolescunt: ita & in stirpibus credi par est, eas omnium esse præstantissimas, quarum prisca etiam nunc extant nomina.

Viris Clarissimo, Excellentissimo, atq;
Experientissimo

Dn. *Johanni Ruperto* Sultzbergero, Phil. ac Med. Doctori celeberrimo, Serenifs. Elect. Saxoniæ Medico dignissimo,

Nec non Prudentissimis, Spectatissimis atq; integerrimis Dnn. Coss. Judicibus cæterisq; Ordinis Senatorii Reipublicæ Olsitiensis Assessoribus gravissimis, ut & Clarissimo ac Consultissimo

Dn. *Salomoni Tauchen*, J. U. Practico apud Olsnitientes percelebri,

Dnn. suis promotoribus favorabilibus æternum colendis,

Salutem & Felicitatem perpetuam P.

QUemadmodum eximius ille Chymiatros Crollius de variis vilissimarum plantarum insignibus ac specificis virtutibus non minùs piè quàm verè in genere effatus est; *Deum*, nimirùm, *nihil frustrà creasse, sed unum quodque plantæ genus licèt vilissimum & abjectissimum peculiaribus virtutibus secundum divinæ voluntatis suæ beneplacitum*

dotasse : Ita quoque non immeritò in specie de vulgo ignobili *Sambuco* verissimè effari possumus. Si enim ejus universæ substantiæ partes, radices, lignum, medulla, cortex, fungi, folia, surculi, flores, semina paulò accuratiùs consideremus, non paucas in illis insignes ac planè divinas virtutes, quibus humano generi in variis morborum discriminibus suppetias deferre possumus, saluberrimas inveniemus. Quare non abs re diligentiores naturalis scientiæ indagatores prædictas arboris hujus partes non modò permagni æstimârunt, verùm etiam in earundem latentibus virtutibus inquirendis, excolendis, atq; illustrandis nonnullis seculis gnaviter desudârunt. Quorum vestigia *Frater* quoque p. m. Charis. secutus est, omnesq; & singulas laudatæ arboris

dotes, ſingillatim à variis Autoribus deſcriptas, propriâq; experientiâ adauctas, & confirmatas in unum quaſi faſciculum convenienti ordine collegit, illudq; ſi modo ipſi per fata diutiùs licuiſſet ſuperſtitem eſſe, publici juris feciſſet. Eo autem rebus humanis exemto, & ne labor iſte forſan non inutilis, irritus ac quaſi ſterilis maneret, ſuumq; effectum, ad quem pius Fratris affectus reſpexit, ſortiretur, tractatum huncce Sambucinum prælo ſubjicere, publiciq; juris facere & V. Excell. Prud. & Clar. ex Char. fratris mente & voluntate inſtar exigui Gratialis ob ingentem beneficiorum ei collatorum numerum nuncupare atq; inſcribere volui ac debui. Suſcipite ergò Viri ſelectiſſimi promotores ætatèm colendi *Anatomiam* hanc utilibus Sambuci remediis de-

 lineatam,

lineatam, non ut beneficiorum plenâ manu collatorum plenarium ἀντίδωρον, ſed certum ſaltem grati animi τεκμήριον. Suſcipite, inquam, proq; innatâ veſtra & ſpectatâ humanitate hoc qualecunq; V. Excel. Prud. & Clar. obſervantiæ teſtimonium in æquiorem partem interpretamini, & uti Fratrem, ita me meosq; veſtro favore porrò irradiare ac fovere non dedignamini. Is à quo omnis feliciſſima proſperitas defluit V. Excell. Prud. & Clar. ad ſui gloriam, & ſalutare Reipubl. commodum felices ac incolumes quâm diutiſſimè ſoſpitet. Lipſiæ Idibus Martii, Anno 1631.

V. Excell. Prud. & Clar.
obſervantiſſimus

Johannes Blochwitz
Hain. Miſnicus, Medic. Studioſus.

A D

AD LECTOREM BENEVOLUM AC CANDIDUM

Præloquium.

QUod Philosophus dicere solitus est: ἐν πᾶσι φυσικοῖς ἔνεστί τι θαυμαστόν; id ipsum, si ullibi alibi, in vegetabilibus quàm verissimum esse, quotidiè experimur. Quis enim nostrûm germinandi crescendive stata tempora, quis variegatam herbarum, foliorum florumque amœnitatem, quis mira diversissimorum colorum pigmenta, quis eximiam fructuum pulchritudinem, quis nares suaviter ferientem odoris fragrantiam, aliave plura, quibus tempore Verno, Æstivo & Autumnali quodlibet arborum, fruticum herbarumq; genus in pratis, in vineis, in hor-

tis in collibus, in convallibus, udis glareosisq; superbit & luxuriat, oculis satis perlustrare, manibus palpare, naribus odorari, linguâ degustare, omnibusq; modis, prout par est, admirari potest? Quis non in hisce universis ac singulis incredibilem Dei sapientiam, quâ omnia tam sapienter condidit, devotè suspiciat? Quis inexhaustam ejus bonitatem, quâ tàm variis & innumeris ferè bonis genus humanũ clementer ditavit, in cœlum non evehat? Quis immensam & ubiq; præsentem potestatem, qua adhuc quotannis revirescentia, frondescentiáve ab omni aëris inclementiâ potenter defendit, & vel imbribus irrigat, vel sudo cœlo serenat, gratâ mente & linguâ non deprædicet? Et quamvis quarundam Arborum, fruticum, herbarumq; acies externa cæteris minùs speciosa appareat, eaq; propter illæ apud plurimos in tam magno pretio & honore non sint: fatendum tamen est, Naturam quandoq; in vilissimis thesauros pretiosissimos occuluisse; & sub chlamyde lacerâ, tugurioloq; stramineo latere

interdum

interdum plus Sapientiæ, Probitatis ac Prudentiæ, quàm ſub veſte holoſericâ, aut Palatio Eburneo.

Exemplum hujus rei luculentum ſuppeditatur in Sambuco: *quæ licet ob dotes egregias digna foret, ut ab unoquovis, cui Sanitas curæ eſt, omni ſtudio, labore, ac diligentiâ excoleretur: à paucis tamen Eandem ſuſpici, à plurimis contemni, ex hortis, areis, aliiſve locis cultioribus extirpari, eradicari, & ad umbras pomœriorum, murorum parietúmve indignè ablegari, luce meridianâ clarius eſt. Cujus vires planè divinæ cùm hactenus multifariam non ſolùm Viris eruditis & in Naturâ verſatiſſimis, verùm etiam Vulgo ipſo innotuerint, compertumq; ſit certiſſimè* Sambucum *pro operationum quibus prædita eſt diverſitate reliquis Vegetabilibus palmam ſi non præripere, dubiam tamen facere: Idcirco ad honorem Divinæ Majeſtatis, quam præſentem quamlibet herbam referre, & vel levem ceſpitem probare Poëta teſtatur, ipſiuſq;* Sambuci *ulteriorem commendationem brevem*

de Eadem tractatum conſcribere volui. In quo quidem adornando, ut fiat concinnior, ad tres potiſſimum partes reſpiciendum erit: Quarum prior Sambuci *hiſtoriam ex probatis authoribus ipsâq; αὐτοψίᾳ delineabit: altera rationem Medicamentorum, quæ ex ſingulis partibus concinnari poſſunt, exhibebit: ultima demum ipſam Praxin annectet, qua ſummatim & juxta ſeriem affectuum oſtendetur, qua ratione cuilibet affectui* Sambucus *inſerviat; ne abſque causâ pluribus affectibus eadem adſignaſſe, & quod in proverbio dicitur, de unâ fideliâ, unoq; piſtillo plures parietes dealbaſſe jure merito cenſear.*

Quamvis autem ſcioli, qui meum hunc qualemcunq; laborem miris modis exagitabunt, & modò hoc, modò iſtud in eo deſiderabunt, defuturi non ſint: virulento tamen eorundem livore nullatenus percellor: ſed potiùs Benevolum ac Candidum Lectorem amicè rogatum volo, ut ea omnia ac ſingula, quæ hìc prolata ſunt, ad geminum illum lapidem Lydium in Medicinâ & totâ Philoſophiâ probatiſſimum,

mum, ΛΟΓΟΝ καὶ ΠΕΙΡΑΝ *examinet: nec si quædam à Vulgo desumta esse cognoverit, superciliosè statim despiciat. Multa enim Vulgus habet, quibus interdum ad miraculum usq; se ostentat. Nec insolens hoc aut rarum in communi vitâ, quòd quandoque ignobilis & rugosa quædam muliercula, aut literarum rudis hortulanus, aliúsve ex popinâ vel tonstrinâ fumidus, squalidus ac mucidus derepentè ac inopinatò prosiliens, medicamine simplici & ex triviis petito, pretiosam ex Pharmacopolio carè redemtam, compositionem diffamet. Quid aliis alibi obtigerit, perstringere hic neque locus, neque tempus est. Testatur sanè Josephus Quercetanus Reg. Galliarum Medicus & Consiliarius in Diætetic. Polyhistoric. section. 2. cap. 1. quòd suo quondam tempore Rusticus quidam ignobilis, in curandâ Vertigine contumacissimâ cujusdam Amplissimi & Magni nominis Viri, solo stercore Pavonis plus præstiterit, quàm variæ & eruditæ Medicorum consultationes. Et dignum est annotatu, quòd Pena & Lo-*

belius in deſcribendâ Elatine Dioſcoridis, ſeu Veronicâ fœminâ referunt, cum Naſum quondam carcinomate obſeſſum complures Medici perdocti abſcindere decreviſſent, idq́ faciendum Chirurgis ejuſdem ſententiæ, valdeq́ exercitatis præcepiſſent, miſellum quendam Barbitonſorem ſuperveniſſe, qui ab Hero ſuo, eximio Medico, hanc dotem olim edoctus, ſectionem diſſuaſit, hujuſq́ ſolius Elatines litu & potu effecit, ut nec naſus abſcindendus foret, nec reliquo corpori in lepram prono pereundum eſſet. Uſq́ adeò

Ipſe etiam eſt olitor ſæpè opportuna locutus;
Atq; ſub attrita latuit ſapientia veſte!

Nec qua ratione ſex iſta hominum in horundem notitiam pervenerit, profundiore inquiſitione opus eſt. Ut enim de iis, quæ ex monumentis arcaniſve Experientiſſimorum Medicorum quovis modo innotuerint, nihil dicam: hoc ſanè in confeſſo eſt, Vulgum in experiundo eſſe temerarium,

um, inopinatisq; casibus & multifariâ experientiâ id demum consequi, de quo Viro erudito & qui circumspectè rem omnem administrat, nec per insomnium aliquid obrepsisset.

Niti hoc meum judicium non cœcâ quadam, aut post pulpita, vel retrò fornacem enatâ animi persuasione, sed ipsa Rei veritate, mirificoq; seculorum omnium consensu, præter quotidianam experientiam, aliaq; ἀξιόπιστα, satis luculenter id attestantur historiæ illæ nobilissimæ à Galeno *nostro lib.* 11. *de simpl. Medicam. facult.* §. *Caro Viperarum, & adhuc elegantiùs & auctiùs lib. d. subfigurat. Empiric. c.* 12. *recensitæ: quas etiam huic opellæ totidem verbis præmittere lubuit.*

Erat apud nos in Asiâ in pago quodam Elephantiacus, qui primò quidem reliquis convivebat: ubi verò nonnulli ex consuetudine maculari contagio cœperint, ipseq; jam fœtore & horribili specie detestandus esset, in edito loco prope pagum juxta aquæ rivulum Pagani tabernaculum ægro habitandum struxêre, tantum illi

ciborum

ciborum quotidiè ferentes, quantum vitæ sustinendæ satis foret. Proxima æstate, circa canis exortum, colonis vicinam metentibus segetem, minister odorati Vini lagenam, quam attulerat, prope agri marginem deposuit & abiit. Coloni labore functi, cum ad pocula accessissent, ac quidam eorum adolescens Vinum in craterem funderet, ecce exanimata Vipera simul elapsa bibituros non minus metu, quàm abominatione consternavit: ac ipsi quidem aquam potantes, Vinum ægrotanti obtulerunt, humaniter se acturos existimantes, si tantam Viri calamitatem morte redimerent, quam ex illo Veneni haustu planè futuram arbitrabantur. At ille novo planè, prorsusq; admirando eventu, ab hoc ipso potu sanatus est. Excidit enim tota cutis, dura & veluti lapidosa, non secus, ac si cancris locustisve ac cæteris hujusmodi crustaceis animalibus testam, quâ conteguntur, absciderìs. Nec dissimile in Mysiâ Asiæ, non procul à nostro municipio, contigit. Vir erat prædives, Elephantiasi laborans: hic ancillam suam formosam deperibat:

ribat: contrà illa fœdum hominem odio habebat, aliisq; amantibus clandestinè miscebatur: cujus doli consciis, duabus ancillis, contubernalibus utebatur, altera penui præerat, altera cellæ vinariæ. Secesserat æger inde, promissâ salutis spe, ad quosdam calidarum aquarum fontes, ubi multa viperarum vis, ob squalorem ariditatemq; loci, scatebat: In vini igitur lagenam, parum diligenter servatam, Vipera irrepsit, quam cum suffocatam deprehendisset ancilla, rata fore, ut odiosus Dominus eo veneno facilè interiret, cœnanti alacriter obtulit, evenêreq; omnino eadem, quæ paulò supra de Pagano retulimus. Atque hæc quidem duo sunt experientiæ monumenta, quæ CASUS *attulit. Nunc verò tertium adjungam, quod* IMITATIO *effecit. Philosopho cuidam multos annos hac ipsâ ægritudine efflictim laboranti, ut jam illi mors vitæ præferenda videretur, geminos hosce eventus cum fortè recitavissem, idem etiam ipse experiri voluit. Ad quod obeundum*

augurio

augurio quoq; confirmatus, protinus Vinum ita medicatum Viperis, quod parari jusserat, intrepidè hausit, nec multo post ex Elephantiasi in Lepram devenit.

Quibus historiis Galenus *adhuc quartam & quintam de Viperarum venatore, & divite quodam Thracensi hac ipsâ Medicinâ ab Elephantiasi liberatis subdit, concluditq; demum allegatum* 12 *cap. libr. de subfiguratione Empiric. Verbis planè aureis, & observatu perquam dignis*: Tot igitur à nobis enarrata sunt, ut ostenderemus, multa *Casu* inveniri, & *Imitatione* confirmari, ut non incommoda tantùm, sed & commoda ex quibus *Ars* confici posset, conspicaremur. Hæc Galenus.

Sic pulverem Bufonum *exiccatorum & calcinatorum propinatum per urinas Hydropem mirificè expellere, ex inopinato casu illius, qui mortis accelerationem ex eo quærens insperatò convaluit, primum innotuisse refert, ex consil. Solenandri Doctiss. Petræus Nosol. Harmon. dissert. xxxv. th.* 54. *Et quæ sodès antiquis*

Medicis

Medicis vires Medicamentorum explorandi fuit ratio frequentior, quàm quòd ex multis ſingularibus experientiis à Vulgo quoque edoctis univerſales demum concluſiones extruxerint? & cum Melones, Pepones, Cucumeres, Cucurbitas, Violas, Nimpheas, Lactucas in intemperie callidâ & ſiccâ emendendâ medicamenta eſſe efficacia ſæpiculè deprehenderint, eadem poſtea ratione contrarietatis frigida & humida eſſe, & omnibus affectibus calidis & ſiccis, quatenus tales, competere ſapienter proclamarint? ἐκ πολλῶν γὰρ τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων μία γίνεται ὑπόληψις, teſte Philoſopho lib. 1. Metaphyſ. cap. 1. Ut jam occultæ & admirandæ illæ plurimorum ſimplicium Alexiteriorum & ſpecificorum facultates ſilentio involvantur; quarum ratio uti manifeſta non eſt, ita eaſdem in dubium vocare, aut planè negare velle, cum multiplici experientiâ, ſive à Vulgo ſive ab aliis parum intereſt, comprobatæ ſunt, hominis eſſet temerarii, & in Naturæ Majeſtatem ſummè injurii & blaſphemi.

Qua-

Quacircò illi rectè facere existimandi sunt, qui in hæc attentiùs inquirunt, Naturalia à superstitiosis, quæ & hîc à malè feriatis admisceri solent, secernunt, quorum causæ manifestæ, quorúmve occultæ sint, diligenter expendunt, & exponunt, atq; suâ quoq; operâ Rem Medicam vel locupletare, vel illustrare pro virili laborant. Cum enim (quæ verba sunt Galeni Cap. 8 de subfig. Empir.) unius Hominis vita ad omnium inventionem sufficere nequeat, longi temporis observationes historia colligit, ut ejus beneficio tanquam ex multis tot seculorum hominibus unus efficiatur eruditissimus. Unum siquidem corpus sumus, unus spiritus hujus corporis, qui à Deo profectus pro communi excubet utilitate. Scaliger lib. 1. d. Plant.

Facem hac in parte nobis prætulit & præluxit Venerandus noster Senex ac præceptor HIPPOCRATES, *Vir sanè Ingenio & Arte nulli comparandus. Is etenim cum antiquitùs mos esset, ut Morbis liberati in Templis* Deo-

rum

rum *Votivas Tabulas*, *quibus quilibet Morbi, quo detentus fuerat, Ideam, & Medicamentorum, quibus convaluerat, formulam insculpserat, suspenderent; quo imposterum similibus Morbis correpti, ad eadem, tanquam ad Hygieæ delubra confugerent, horundemq́ Medicamentorum ope similiter frui ac restitui possent: primus omnium eadem exscripsisse, & ex iisdem, quamvis plebeis, artem Medicam excerpsisse & cincinnasse traditur. Quem postea pari studio ac diligentia tanquam Ducem ac Præceptorem secuti sunt Dioscorides, Galenus, Aëtius, Paulus Ægineta, Oribasius, aliive non degeneres Hippocratis discipuli: qui Artem hanc nobilissimam acroamatum doctrinâ propagarunt, novisq́ inventis ac selectioribus quocunq́ modo acceptis, medicamentis indies magis atq́ magis locupletarunt; sicut id longiùs diduci, meliusq́ confirmari posset, nisi res per se esset perspicua, egoq́ Lectori exinde plus tædii quàm emolumenti resultaturum probè perspicerem.*

Quamvis

Quamvis autem ipſemet meæ tenuitatis optimè ſim conſcius, facileq́ videam, opellam hanc tanti momenti non eſſe, ut cum præclaris horundem Anteſignanorum monumentis ullo modo conferri poſſit: quia tamen non ſolùm ea, quæ paſſim apud alios Authores hinc inde de Sambuco *dicta ſunt, in faſciculum quendam redegerim, verùm quoq́ iiſdem alia plura, quæ ita obvia non ſunt, ſed intra privatos parietes Clariſſimorum Virorum, ipſiuſq́ Vulgi hactenus delituêre, candidè ac fideliter adjunxerim: ſperabo Eandem vel hac de causâ Benevolo Lectori non penitus diſplicituram.*

Etſi quoq́ in id diligenter incubui, ut plurimorum, præſertim eorum, quibus Vulgus ſeſe venditat, rationes cauſaſq́ probabiles in medium afferrem, quò tutius & minori animi attrepidatione ab unoquovis eadem, ſi placuerit, uſurpari poſſent: me tamen & hic non rarò in iſta Naturæ variantis obſcuritate & Humanæ Mentis caligine ac imbecillitate, hæſiſſe & adhuc hærere fateor, ſæpiuſq́

divinum

divinum illud Scaligeri *arripio:* Multa latent animos temperatos, quæ illudunt curiosis.

Lectorem tamen benevolum ac candidum majorem in modum rogatum & admonitum volo, ne ullo modo sibi persuaderi patiatur, ac si hoc tractatu reliqua ex cæteris Vegetabilibus, Animalibus Mineralibúsve utiliter hactenus variis modis tùm Chymicè, tùm Galenicè præparata, summeq́; decantata medicamenta infamanda aut aspernanda præsumserim: vel augustissimum Polydædalæ Naturæ latifundium in tam angustos unius simplicis arbusculæ, fruticisve terminos coarctare Voluerim: Quorum utrumvis si facere instituissem, promeritas temerariæ audaciæ pœnas nullatenus effugerem: sed id potius ideò à me factum sciat, quò Naturæ, *quæ seu Mater fertilissima, etiam in minimis saluti nostræ prospexit, uberrimam bonitatem in hac naucipensa arbuscula detegerem, palamq́; facerem omnibus, verum esse & hic tritum illud Medicorum ex* Fernelio *crebrò allatum*

& usurpatum dicterium: Nullam esse remediorum penuriam, sed nostram plerumq; eorundem ignorantiam.

—ὅστις τῆς δὲ ἀμείνονα μῆτιν ἐνίσποι,
ἢ νέος ἠὲ παλαιὸς, ἐμοί δὲ κεν ἄσμενον εἴη.

Feliciter

Feliciter cum CHRISTO.

ANATOMIÆ SAMBUCI,

SECTIO PRIMA.

De Nomenclatura, Speciebus, Forma, Loco, & Qualitatibus SAMBUCI.

QUum *Sambucus* arbor ſit rudi quoque plebeculæ notiſſima, haud opus eſſe videtur, eandem pluribus deſcribere; Ne tamen & hac in parte manca ſit noſtra tractatio, paucula quædam ex Antiquis & Modernis Botanicis præmittenda veniunt.

I. *NOMEN.*

Vocatur à Dioſcoride cæteriſ-que Græcis ἀκτὴ, quia littorum, cre-pidinumque opacarum amans eſt, cenſoribus Pena & Lobelio in Ad-verſariis ſtirpium p. 434. Quam nomenclaturam etiam retinuit Theophraſtus Paracelſus, apud quem & modernos Chymiatros crebra mentio granorum Actes, & exinde paratarum Medicinarum. Latinis audit Sambucus, vel, ut aliis, & inprimis Q. Sereno, teſte Hugone Fridæ Val. lib. 2. de tuend. ſan. cap. 26. placuit, Sabucus, à Sabucæ aut Sambucæ, muſici inſtrumenti ſimilitudine, quæ illi cum cavis virgis, tubisve medullâ exenteratis communis. Pena & Lobel. loc. citat. Unde & adhuc Hiſpanis Sabuco vel Sabugo, & Germa-

ni-

nis *Holunder*, vel contractè *Holder* nominatur, quamvis ſint, qui à multiplici utilitate, & gratia vocabulum *Holder*, quaſi *Hulder* ſeu *Huldreich* deductum autument, de quo cum nomine litigabimus. Italis Sambuco, Gallis Suſier, Suyn & Suſeau; Bohemis Bez; Anglis Elder tree; Belgis Ulier. Vide Herbarium Germanic. Joh. Theodori Tabernæmontani, Part. 3. ſect. 1. cap. 62.

II. *SPECIES.*

Quatuor autem ejus à Matthiolo aliiſve recenſentur Species: Domeſtica, Montana, Aquatica, & Minor ſeu Ebulus. Quarum tamen ſaltem prior & poſterior à Medicis Dioſcoridem ſecutis plurimum in Medicinâ commendantur: *Sambucus* videlicet propriè ſic dicta, &

Ebulus quam Chamæacten ſeu pu-
millam humilemve *Sambucum* no-
minant. Quia tamen ſpecies utra-
que, uti ex Dioſcoride mox audie-
mus, parum vel nihil Viribus à ſe
invicem diſcrepat, *Sambucum* hic
propriè dictam, ſeu Urbanam pri-
mariò deſcribere lubet, ex quâ fa-
cile, quid de Ebulo ſentiendum ſit,
cognoſci poterit.

III. *FORMA.*

Eſt autem domeſtica, ut notum
arbor ſurculos mittens arundinace-
os, teretes, cortice exteriore griſeo
interiori viridi flavoque ſucculento
lignum ambiente: cui includitur
medulla candida & fungoſa: foli
juglandis (ſed minora) terna qui
ternáve (imò quina ſeptenáve,
utrumque latus ſeorſim ſpectes) (
intervallis circa ramos exeunt, gr

ve

veolentia, in ambitu minutim ſecta: in ramulorum cacuminibus cauliculisque circinatæ ſpectantur umbellæ, flore candido odorato (M. Junio ante feſtum Johannis) turgidæ: quem decidentem mox acinus racemoſus primum viridis, poſt rubeſcens, & demum in nigredine ſubpurpureus ſucculentus, vinoſusque ſubſequitur.

Pena & Lobelius eandem ita deſcribunt, quòd ſit fraxineâ facie & fronde, ſed latiore nonnihil ambitu crenato: umbellis candidis Drabæ latioribus, circinatis magisque ſpecioſis, & corymbaceâ fœtura acinulorum ſanguineorum, nigricantium per maturitatem luxuriante, ad Uvæ æmulationem, Auguſto.

Joann. Renodæo Medico Regio Pariſienſi ſequentibus delineatur, lib. 1. Mater. Medic. ſect. 2. c. 11.

Sambucus in arborem assurgit sæpé proceram, Virgis arundinum ritu cavis, medullosis, rotundis, folio juglandis, sed graveolente, & pluribus incisuris per ambitum serrato, floribus multis, parvulis, albis, in umbellam elegantem dispositis, quos baccæ sequuntur sanguineo cruore turgentes. Sambucus sylvestrium prima germinat, & novissima foliis nudatur.

IV. *LOCUS.*

Locum Natalitium quod attinet, ubique ferè provenit, & vix ullum, quo aliæ quidem arbores fruticesque progerminant & crescunt, locum licet invenire, cui Deus, benignissimus Pater hanc arbusculam invidere voluit. Gaudet tamen præcipuè sepibus, pomœriis, aliisve locis umbrosis, udisve rivorum

vorum marginibus, lacunis & ſcrobibus; ad quæ etiam potiſſimum ab Hortulanis relegatur: ne reſtibili ſuâ luxurie, ac importuno, quo ſemetipſam quotannis proſeminat ac amplificat, proventu, honoratioribus, & magis, ut putant, pretioſis arboribus, fruticibus, ac herbis locum præripiat.

V. *QUALITATES ET VIRES.*

Qualitates in genere deſcripſit Galenus lib. 6. ſimpl. Medic. facultat. § Acte, quod vim deſiccandi, conglutinandi, modicéque digerendi obtineat; quas etiam totidem verbis repetiit Galenias ille Paulus ex Ægina Medicus lib. 7. Medic. cap. 3.

Dioſcorides tamen, quo, vel Galeno teſte, nullus omnium eorum,

qui de re herbariâ ſunt commentati, accuratius, aut verius, aut doctius ſcripſit, jamdudum eaſdem ſpecialibus delineavit lib. 4. d. Mater. Medic. c. 175. his verbis.

Δύναμις δὲ ἡ αὐτὴ ἀμφοτέραις καὶ χρῆσις ξηραντική, ὑδραγωγὸς, κακοστόμαχος μέντοι, ἑψόμενα δὲ τὰ φύλλα ὡς λάχανα καθαίρει φλέγμα καὶ χολήν. καὶ οἱ καυλοὶ δὲ ἁπαλοὶ ἐν λοπάδι ἑφθέντες τὰ αὐτὰ ποιοῦσιν, ἡ ῥίζα δὲ αὐτῆς ἀφεψηθεῖσα σὺν οἴνῳ καὶ διδομένη παρὰ τὴν δίαιταν ὑδρωπικοὺς ὠφελεῖ: βοηθεῖ καὶ ἐχιοδήκτοις ὁμοίως πινομένη, ἀφεψηθεῖσα δὲ μεθ' ὕδατος ἐγκάθισμα μαλάσσει ὑστέραν, καὶ ἀναστομοῖ καὶ διορθοῦται τὰς περὶ αὐτῆς διαθέσεις. Καὶ ὁ καρπὸς δὲ σὺν οἴνῳ πιθεὶς τὰ αὐτὰ ποιεῖ. Μελαίνει δὲ καὶ τρίχας ἐγχριόμενος. τὰ δὲ φύλλα πρόσφατα καὶ ἁπαλὰ πραΰνει φλεγμονὰς μετὰ ἀλφίτων καταπλαττόμενα καὶ κατακαύμασιν ἁρμόζει, καὶ κυνοδήκτοις καταπλασσόμενα. κολλᾷ δὲ ὑποφορὰς καὶ ποδαγρικοῖς βοηθεῖ μετὰ στέατος ταυρείου ἢ τραγείου καταπλασσόμενα.

Hoc eſt.

Eadem utriuſque (*Sambucum* intelligit & *Ebulum*) facultas & uſus exiccans, alvo detrahens aquam

Stomacho

Stomacho quidem infeſta, folia tamen olerum modo cocta pituitam & bilem purgant: Caules verò teneri in patellâ ſeu ollâ decocti eadem efficiunt. Radix verò in vino decocta & in cibis data, Hydropicos adjuvat: Auxiliatur quoque à Viperâ demorſis eodem modo pota: Decocta vero cum aqua pro infectione emollit vulvas & aperit, & quæ circa eas ſunt affectiones corrigit. Fructus cum Vino potus eadem efficit. Illitus capillos denigrat: Folia verò recentia ac tenera inflammationes mitigant, cum polenta illita: Ambuſtis & canis morſibus illitu proſunt. Ulcera profunda, & quæ in fiſtulas ſeu cavernas dehiſcunt, agglutinant, & podagricis auxiliantur cum ſevo taurino, hircinove illita.

Quæ vires *Sambucum* ita nobili-

tarunt, ut quamvis nullas alias in
eâ poſtera ætas deprehendiſſet, no-
bis tamen ob recenſitas deberet eſ-
ſe commendatiſſima. Verùm uti
in aliis rebus omnibus, teſte *Sene-
ca* quæſtion. Natural.lib.7.ca.31.
rerum Natura ſacra ſua non ſimul
tradit, nec arcana ejuſdem promi-
ſcuè nec omnibus patent, reducta
& in interiore ſacrario clauſa, ex
quibus aliud hæc ætas, aliud poſte-
ra accipit, & depromit: ita & hic
dies diem docuit, Medicique poſte-
riores tùm in aliarum herbarum,
tùm etiam ipſius *Sambuci* contem-
plationem intimius incumbentes,
Eandem in pluribus affectibus ex-
perti ſunt ſaluberrimam, ut idcircò
non immeritò pro *Panacea* qua-
dam venditetur. Quæ enim reli-
quis utplurimùm ſingulatim data
ſunt, ea magna ex parte in *Sambuco*
haberi

haberi experientia comprobavit. Ut enim de abditis & admirandis illis operationibus, quibus in *Epilepsia*, *Peste*, *Erysipelate*, aliisve malignis affectibus expugnandis *Sambucum* præditam esse inferius cognoscemus, nihil dicam, habet ea vim purgandi humores noxios è corpore ferè quosvis biliosos, pituitosos, ac inprimis serosos; à quibus quanta Morborum caterva resultat, neminem esse credidero, qui vel mediocriter in *Medicina* versatus, id ignoraret. Perlegat saltem quicunque hìc pertinacior fuerit, aureum illum & eruditissimum *Caroli Pisonis* tractatum, quem de *serosa colluvie* conscripsit, & expendat exactiùs, quàm varios & innumeros ferè affectus Vir ingeniosissimus ab unâ hac serosâ colluvie ingeniosè nec malè deduxerit. Est

præterea

præterea Anodyna & cutem rare-faciendo, humoreſque ac Vapores digerendo dolorem conſopit. Uri-nam ducit: ſudorem prolicit: cal-culum pellit: menſes retardatos evocat, & alia plura, pro partium & præparationum diverſitate, ut inferiùs explicabitur, efficit. Ut non ſine cauſſa illorum plurima, quæ *Chymici* ſaniores, experientiâ edocti in πολυφαρμάκοις iſtis πολυθρυλλή-τοις *Mercurio*, *Antimonio* & *Vitrio-lo* admirabundi præconiis evehunt: ſuo quoque modo (diverſitatem enim quandam lubenter agnoſci-mus & concedimus) in *Sambuci* noſtrâ ſuſpicere, admirari & de-prædicare valeamus. Idque eò for-ſan libentiùs, cum quæ in Trigâ illâ Minerali pertinaci labore puri-ficandi, ſolvendi, præcipitan-di, calcinandi, deſtillandi, coho-

bandi,

bandi, aliiſve non rarò ſumtuoſis laborioſiſque operationibus venerandi illi polydædalæ Naturæ ſcrutatores, ſinguli ἐκ Θεοῦ πεπλασμένον ἔργον, lætabundi demum adipiſcuntur: in hac utplurimùm levi nec ita difficili præparatione conſequi liceat.

ANATOMIÆ SAMBUCI

SECTIO SECUNDA.

De Formulis Medicamentorum ex SAMBUCO.

ANtequam autem ad ipſos quibus *Sambucus* medetur affectus accedamus; operæ pretium eſſe duximus, formulas Medicamentorum, quæ ex ſingulis Sambuci partibus concinnari poſſunt & debent, prius enarrare, ne in poſterum eadem ſæpius in diverſis affectibus cum tædio præſcribenda

benda aut repetenda veniant. Potiora autem ſaltem & communiora hìc recenſebimus, ab ipſis *Baccis* tanquam fructu & extremo in productione incipiendo.

CAPUT I.

DE MEDICAMENTIS EX BACCIS.

I. ROHOB TINCTURA & Extractum ſeu Eſſentia.

RECIPE baccas *Sambuci* benè maturatas, & à ſtipitibus ſuis liberatas: exprime ſuccum, quem colatum lento ac lucido non fumido ignis calore inſpiſſa.

Quidam inter inſpiſſandum parum Sacchari addunt, ut Sapor palato

lato magis gratus concilietur; vo-
caturque Rob. *Sambuci* cum sac-
charo.

Ex Rohob seu succo absque sac-
charo inspissato *Tinctura* & *Ex-
tractum* paratur seq. modo:

Accipe Rohob modò dicti ℔ j;
cui in Vitro oblongo, satisque ca-
paci, quod *Bociam* seu *Cucurbitam*
Chymici vocant, superaffunde *Vi-
ni* spiritum, vel proprium Sambu-
cinum hoc ipso capite mox descri-
bendum, ut superemineat, ad
quantitatem palmæ; posteaque be-
nè obturato Vitro, ne spiritus ex-
halet, digere in Balneo, vel tempo-
re hyberno retro fornacem hypo-
causti per dies 5. vel 6. Vitrum in
dies bis agitando: Quibus elapsis
materiam omnem, quæ in Cucur-
bitâ est, filtra per chartam empo-
reticam, ut purum ab impuro sepa-
retur

retur: Liquorem tranſcolatum & obſcurè rubeſcentem, qui à quibuſdam *Tinctura Sambuci* ſeu granorum Actes nominatur, & per ſe quoque abſque deſtillatione utiliter ſervari poteſt, inde cucurbitæ vitreæ, & ſuperimpoſito Alembico deſtilla lento Balnei calore, donec Menſtruum ſeu ſpiritus ille redundans guttatim evocatus, *Extractum* granorum Actes ſeu baccarum *Sambuci* in fundo Cucurbitæ inſtar mellaginis reliquerit.

Quod ſi menſtruum non totaliter ſed aliquâ ſaltem ex parte abſtractum fuerit, id quod in cucurbitâ remanet, Extractum liquidum ſeu *Eſſentia* granorum Actes à Chymicis modernis utplurimum vocatur. Aliam Tincturam & Extractum horundem granorum videbis infra ſectione 3. cap. 26. in curatione

curatione ſuffocationis Hyſtericæ, ex Pharmacop. Dogmatic. Quercetani, lib. 1. cap. 25.

II. *VINA.*

Recipe baccas *Sambuci* ſtipitibus mundatas: contunde in Mortario lapideo aut vaſe figulino, piſtillo ligneo, ita ut vinacea ſimul quàm optimè conquaſſentur. Materia hac ſucculentâ dolioli octavam, decimam aut duodecimam, prout major minórve requiritur efficacia, partem reple, reſiduumque muſto recenti adimple, ut ſimul deferveant.

Quidam materiam iſtam contuſam & ſucculentam cum æquali Muſti parte ad tertias prius lento igne incoquunt, decoctam, refrigeratam & optimè per pannum lineum rarũ tranſcolatam eodem modo,

do, & quantitate paulo majori, in doliolum infundunt, & ſuper affuſo muſto, uti dictum, defervere ſinunt.

Qua ratione Quercetanus parari juſſerit, dicetur infra ſect. 3. cap. 24. in curatione Hydropis.

Elegans etiam modus hic eſt:

℞. *Baccar. Sambuci in furno optimè ſiccatar.* ℔ j.
Cinnamom. morſu elect. & acerrim. ℥ iij.
Caryophyll. aromatic. ℥ j. ſ.

Craſſo modo pulveriſata inſue nodulo laxiori, quem vaſculo Menſurarum XII. aut circiter capaci immitte, quod Vino albo fragrantiſſimo ad ſummum uſque impletum per ſeſquimenſem, aut ultra in cellâ Vinariâ repone. Cujus uſus potiſſimum in menſâ inter cibandum eſſe poteſt. Nam merè ſtoma-

ſtomachicum eſt, coloreque odore & ſapore amicum.

III. *SPIRITUS ET AQUA.*

℞. Baccas *Sambuci* maturas: exprimatur ſuccus, vel conquaſſentur ſaltem, ſtentque in vaſe ligneo, donec incipiant fermenteſcere: ut citius ebulliant, aliquid fecum Vini vel Cereviſiæ addere poteris. Quidam enim nihil addendum cenſent, eundemque ferè proceſſum obſervant, quem in ſpiritu ardenti Ceraſorum dulcium nigrorum parando præſcribit D. Finck. cap.6. Enchiridii. Poſt fermentationem deſtillentur per veſicam & rectificentur, ut artis.

Nota. Rectificatio optimè inſtituitur primum per veſicam, deinde in Balneo: ubi loco cucurbitæ, phiola

phiola longi colli ſubſtituatur, atque ita ſaltem ſpirituoſiſſima pars abſtrahatur, phlegmate ad latera alliſo, & ſenſim rurſum delabente.

Alii ſic parant:

℞. Baccas *Sambuci* maturas in clibano lento calore exiccatas: craſſo modo contuſis, admiſce tertiam partem polentæ hordeaceæ: optimè permiſta in doliolum ex ligno querno conjice & aquam ferventem, in qua aliquid lupuli priùs maceratum fuerit, affunde, vaſeq; benè clauſo per dies quatuor, vel quinque fermentari ſinito: Ad digeſtionem fermentationémve accelerandam aliquid fecum ſupradictarum adjicito, &, ut prius monitum eſt, deſtillato & rectificato.

Verùm prior modus utpote ſimplicior & purior huic à plurimis non immeritò præfertur.

Aquam

Aquam purgantem ex baccis quomodo Quercetanus & alii eliciant, infra ſect. 3. cap. 24. edocebitur.

IV. *SYRUPUS ET TRAGEA.*

Syrupus hoc modo fit:

℞. *Succi ex recentibus & maturis baccis expreſsi & depurati* ℔ j. *s.*
Sacchari clarificat. ℔ j.

Coq. parum igne lento in vaſe duplici, ſeu Balneo Mariæ, ad conſiſtentiam Syrupi liquidi.

Trageam granorum Actes invenies deſcriptam inferius ſect. 3. cap. 22. de Dyſenteriâ.

V. *OLEUM EX ACINIS* ſeu *ARILLIS.*

Accipe arillas baccarum poſt ſucci tranſcolationem in filtro relictas,

lictas, benéque elotas & in aëre exiccatas irriga Vino albo odorifero, & è Torculari subjectis Oleum fortiter exprime, eo planè modo, quo ex semine lini, crucæ, papaveris, hyoscyami, & aliis oleum exprimi consuevit. Id quod per residentiam depuratum usui serva in Vitro. Est enim Vomitivum egregium, & ad Extra Balsamum salutare cui magnæ tribuuntur vires, utì infra passim inculcabitur.

Dosis intrinsecè drachma una vel sesquidrachma in Cerevisiâ calefactâ, vel alio convenienti liquore.

Nota: Posset tamen hoc oleum reddi præstantius, & efficatiori vi Emeticâ & Catharticâ imbui si arillæ loco vini simplicis irrigarentur infuso Croci metallorum in Vino Malvatico, vel Petri Simonis

facto,

facto, demumque ex iisdem oleum
exprimeretur; quod in eâdem do
assumtum vires longè operosiore
exerturum esset.

CAPUT II.

De MEDICAMENTIS ex Floribus.

I. CONSERVA.

FLores recentes minutim discer
pe, & singulis unciis adde Sac
chari albissimi uncias duas. In pil
lapideâ pistillo ligneo diligente
contere & commisce. Misturam
postea vasi vitreo aut figulino, im
de & per aliquot dies Soli expone
demumque ad usus reconde.

II. SYRU

II. *SYRUPUS ET Mel.*

℞. Florum *Sambuci* recentium ℔ j. Macerentur horis 12. in ℔ vi. Aquæ fontanæ calentis : Expreſſo poſtmodum & colato liquori parem florum recentium quantitatem infunde, idque tertio itera.

Poſtremæ dehinc colaturæ ſingulis unciis quinque adde Sacchari albi uncias quatuor. Coquantur ſecundum artem in diplomate ad Syrupi conſiſtentiam.

Quod ſi loco Sacchari eandem quantitatem Mellis addideris, & ad juſtam conſiſtentiam decoxeris, Mel Sambucinum habebis, quod à quibuſdam etiam commendatur.

III. *AQUÆ ET SPIRITUS.*

Varios modos tales aquas destil-landi ex herbis & floribus videre li-cet passim apud Weckerum, Euo-nymum, Quercetanum & alios. Facilis modus hic est.

℞. Florum *Sambuci* quantum-vis: affunde Aq. calidæ sufficien-tem quantitatem: Macerentur per noctem, deinde destillentur per ve-sicam.

Quæ primum exstillat optima est, quæ subsequitur ignobilior: cave ergò ne nimium urgeas: A-quam destillatam super recentes flores affundito, & iterum destil-lato, idque etiam tertiò repete. Ita enim aquam habebis ad infra an-notandos in Praxi usus accommo-datissimam. Quæ enim vulgò in

Phar-

Pharmacopoliis proſtat, purum putum phlegma eſt, nec digna Aquæ deſtillatæ nomine: unde nec mirum, quod tam rarò Ægroti optatum exinde fructum conſequantur.

A modo dictæ ac præſcriptæ Aquæ parte aliqua, ſi per vitrum longi colli ſeu phiolam lento Balnei calore pars ſpirituoſior, duodecima circiter, ſeparetur, *Spiritus* habebitur fragrantiſſimus & ſummè penetrans.

Vel paretur *Spiritus* florum *ambuci* eo modo, quem præſcripſit Joſeph. Quercetanus l.1.Pharmacopœjæ Dogmat. reſtitut. c.7. pag. mihi 19.

Nec multo abſimilem modum exhibuit. Dn. Sennertus Inſt. Med. l.5.part,3,ſect.3.cap.5.

Nota: Placentam in Veſicâ

post Aquarum destillationem re-
lictam, quam *caput mortuum* Chy-
mici nominant, non inutiliter ab-
jice, sed reserva ad usus in Praxi
qui recensebuntur.

IV. *ACETUM ET OXYMEL.*

Floribus *Sambuci* recentibus vel
semivietis superaffunde Acetum vi-
ni albi: stent in vase vitreo bene
obturato in Sole aut alio loco te-
pido, ut vim & facultatem florum
Acetum melius extrahat; relin-
quantur flores tamdiu in Aceto,
donec sat virium ex floribus im-
mersis Acetum imbiberit; id quod
ex odore fragranti & colore plane
aureo dignosces: Post acetum
transcola & usui serva.

E floribus & racemorum succo
admodum rubrum & laudatum
para-

parari poteſt Acetum; id quod in Galliâ conſuetum eſſe, teſtantur Pena & Lobelius in Adverſ. ſtirpium novis, pag.434.

Ego loco ſucci racemorum ſumo baccas *Sambuci* lento clibani ſeu furni calore exiccatas, iiſque Acetum florum colatura & ſubſidentiâ optimè depuratum ſuperinfundo. Quod nitenti ac tranſparenti purpurâ ſaturatum decanto ſeu effundo, recenſque toties affundo, quamdiu aliquid tincturæ phœnico purpureæ baccis ineſſe perſpicio.

Syrupum acetoſum Sambucinum deſcriptum dabimus, ſection. 3. cap.19.

Oxymel Sambucinum cujus etiam meminit Quercetanus in Pharmacop. Dogmat. lib.1.cap.10. p.78. ſeq.commodiſſimè paratur modo:

℞. *Mellis despumati* ℔ j.
Aceti Sambucini ℔ 5.
Aquæ simpl. vel flor. Sambuc. ℔ j.

Mista indantur cucurbitæ, & coquantur in Balneo ad justam consistentiam.

Nota: Acetum hìc adhiberi potest vel simplex florum, vel quod infusione baccarum purpurat, prout hic vel ille color à Medico Ægrotóve expetitur.

V. *VINUM.*

℞. Umbellarum *Sambuci* in umbrâ exiccatarum, quantum placuerit: quas minutim discerptas, aut concisas nodulo ex Linteo raro, cum aliquot parvis & mundis silicibus (ad Noduli in Vino depressionem, ne supernatet) inclusas vasculo Musti pleno immerge,

ut

ut Vinum ſuper has deferveat.

Quidam ad congios ſexaginta (3. *Cymer*) ſumere & infundere jubent florum *Sambuci* rectè exiccatorum, & à ſtipitibus mundatorum libram unam, & promittunt inde poſt deferveſcentiam Vinum ſapore & odore Moſchatellino.

Nota obiter: Mala ſeu poma quævis, præſertim tamen Porſtorfiana, ſi floribus *Sambuci* involuta aut contecta ſervantur, odorem & ſaporem pyrorum moſchatellinorum aliquantiſper æmulum acquirunt.

VI. *OLEA.*

1. ℞. Florum recentium contuſorum quantum lubuerit: Pone in vaſe vitreo, & affunde olei olivarum clariſſimi ſufficientem menſuram, & macera ad Solem, aut in

loco aliquo calido ad dies quindecim. Deinde in duplici vase coquito, & abjectis floribus alios injicito, atque iterum quindecim diebus macerato. Postea simili modo coquito & exprimito: ac tertio flores injice, macera, coque & exprime: quod colatum in Vase convenienti repone.

Nota: Spissamentum seu crassamentum illud florum, uti & aliarum rerum omnium in oleis maceratarum & expressarum, communiter *stymma* à Medicis vocatur: id quod hìc monere libuit, ut, cum inferiùs hujus mentio fiet, quid per illud intelligendum sit, neminem lateat.

2. Ex *floribus* quoque sequens à plurimis commendatur oleum.

Accipe Cucurbitam aut Vitrum mediocris capacitatis; imple ejus partem

partem tetriam floribus *Sambuci* cœlo ſereno, ſudóve collectis: ſuperaffunde Vini Malvatici, aut Petri Simonis tantum, ut Vitrum dimidiâ, vel tertiâ ad minimum ex parte adhuc maneat vacuum. Orificio benè oblutato Vitrum radiis ſolaribus per ſeſquimenſem exponito: poſtea totam materiam in ollam vitreatam infuſam lento carbonum igne modeſtè calefacito,& in aliud vas purum, cum fortiſſimâ expreſſione tranſcolato: Cui paulò poſt *Oleum* citrinum ſupernatare videbis, quòd à liquore reliquo per infundibulum, aut ſeparatorium, ut artis eſt, liberandum erit.

Liquor reſiduus novæ florum macerationi inſerviet, quæ aliquoties continuanda, aut in diverſis organis ſeu vaſis inſtituenda erit, cum unâ vice parum olei liceat apiſci.

3. Paratur & oleum per deſtil-lationem eo modo, quo Balduinus Clodius, Sennertus & alii oleum ex floribus Chamomeli Romani, & similibus odoratioribus eliciunt, qui talis eſt:

℞. Flores *Sambuci* in aëre inter duo lintea benè exiccatos; diſcer-ptos impone in vas fictile, vel cu-curbitam capaciorem, admiſce sin-gulis libris florum Salis communis ſeſquiunciam: & affuſâ ad eminen-tiam Spithamæ aquâ calidâ, relinq: in digeſtione per decendium, aut ultra: poſt deſtilla per Veſicam, & Oleum ab Aquâ pro more ſepara.

CAP.

CAPUT III.
DE MEDICAMENTIS ex Turionibus.

I. *PULVERES.*

℞. Turionum *Sambuci* ſeu primulorum aſparagarũ, quantum cupis: in umbrâ exiccatos pulveriſa, pulveremque vel per ſe reſerva, vel eidem æqualem Sacchari partem admiſce.

Pulvis Turionum polychreſtus infra ſection. 3. cap. 3. præſcribetur.

II. *CONSERVA.*

℞. *Turion. recentium & minutiſs. conciſor.* ℔ 5.
Sacchari optim. & finiſs. ℔ j.

Super

Super lento prunarum igne piſtillo lapideo invicem probè miſce, & repone in fictili ad Solis radios per octiduum.

III. SYRUPUS.

℞. *Succi ex primis illis emergentis Sambuci aſparagis ac turionibus expreſsi, & per ſubſidentiam à fecibus depurati* ℔ij.
Sacchari albi ℔j. s *vel q. ſ.*

Coquantur igne Balnei lento ad conſiſtentiam Syrupi, qui Cinnamomi morſu electi unciâ dimidia, & Caryophyllorum aromatic. drachmis duabus aromatiſatus in vaſe vitreato reſervetur.

CAP.

CAPUT IV.

De MEDICAMENTIS ex Foliis, medio cortice, Radicibus, Medulla, Spongiolis.

I. *AQUA.*

℞. Folia *Sambuci* recentia; iisdem crasso modo contusis vel concisis dimidiam præterpropter Vesicæ partem reple, & superaffusâ sufficienti quantitate Aquæ calidæ per noctem macera & destilla: Destillatum liquorem foliis recentibus affunde, iterumque destilla. Eodem modo & ex *Cordicibus* viridibus & succulentis adhuc *Aqua* paratur.

Sunt, qui ex *Radicibus succulentis, Medullâ & Spongiolis* tùm seorsim,

orſim, tùm permixtim *Aquas* de-ſtillant, quas potiſſimum in Hydro-pe commendant. Quæ tamen om-nia priùs benè incidenda, & per diem unum vel alterum in conveni-enti liquore maceranda erunt, quò vis eorum poſtea faciliùs poſſit elici.

II. *SYRUPUS.*

Uti ex ſucco Turionum, ita & ex ſucco Corticum medianorum, vel radicum *Syrupus* pro delicatioribus parari poteſt: ſi nimirum ſucco o-ptimè depurato ſufficiens Sacchari quantitas affundatur, & lento igne in ſyrupum decoquantur, qui ea-dem ratione aromatiſandus.

Syrupi hi ſuccis crudis quidem minus efficaces habentur, cum in-ter coquendum de vi Catharticâ a-liquid amittant; id quod & Ferne-lius

lius monuit: gratiores tamen ſunt, tutioreſque, & Ventriculo, cæteriſque viſceribus minus infeſti. Doſis itaque eorundem pro ratione virium augenda.

III. *OLEA ET LINIMENTA.*

1 Ex *medio Cortice* in Oleo veteri claro macerato & expreſſo, ut ſupra in floribus dictum, utile paratur Oleum; id quod Italis conſuetum eſſe Auguſtani in Pharmacopœjâ referunt.

2. Ex *Cortice & foliis* tale paratur:

℞. Corticum medianorum & foliorum part. æq. frige in Butyro Majali & Oleo lini, aut horum ſaltem alterutro, igne mediocri. Cum aliquandiu frixa fuerint, cortices & folia exprime, recenteſq; cortices

ces & folia inde, iterumq; frige & exprime: id quod & tertio repetendum.

3. *Linimentum seu Unguentum*, quod habetur in Commentariis Matthioli in Dioscorid. li. 4. cap. 168. & paratur sequenti modo:

Sumito viridis Sambuci corticis, qui statim sub primo cinereo delitescit libro, herbacei coloris ℔ j. Olei pluries loti ex stillatitiâ florum Sambuci Aquâ, ℔ ij. Ferveant simul aliquandiu & deinde percolato & exprimito, & addito Ceræ odoratæ novæ, succi surculorum Sambuci, cujusq; uncias quatuor. Rursus ut fervescant, sinito quousque succus evanescat. Tollito tunc ab igne & rudiculâ agitato, omniaq; misceto, & ad finem addito Vernicis liquidæ uncias duas, Thuris albi in pollinem contriti

uncias

uncias quatuor; quin etiam duorum ovorum albumen diu priùs cochleari agitatum. Subinde diligenter miſceto omnia, & mundo vaſe aſſervato.

4 Linimentum aliud, quod Feliciſſimus quondam PLATERUS parare ſolitus eſt.

℞. *Cortic. medianor. Sambuci* ℥ j. s.
Succi folior. illius tenerior. ℥ j.
Ol. lin. Aq. flor. Sambuc. loti ℥ ij.
Roſacei.
Axung. Porci itidem lot. an. ℥ j.
Ceræ citrinæ optim. ℥ j. s.
Thuris Pulveriſat. ℥ j.

Coquantur in Aquâ florum Sambuci aliquandiu, ollâ bene clausâ, & cum refrigerata ſunt, innatans unguen-

unguentum collige & repone.

Communicabatur mihi Basileæ Rauracorum, dum ibidem viverem à Chyrurgo quodam pro singulari secreto: Verùm totidem ferè verbis habetur in parte secunda Praxeos meritissimi ac celeberrimi D. Plateri.

De quibus omnibus infra in curatione Ambustionum, & aliorum affectuum externorum.

Quod reliqua, quæ ex foliis, *Corticibus*, *Medullâ*, *Radicibus*, *Spongiis*, & aliis Sambuci partibus utiliter parari possunt, medicamenta attinet, satis copiosè & luculenter eorundem compositiones in quolibet, cui medentur, affectu adducentur; quò etiam hac vice Lectorem amicè ablegamus.

CAP.

CAPUT V.

De Sale & ejus Spiritu.

I. SAL SAMBUCI.

NOn solùm ex foliis & floribus post destillationem aquarum & succorum expressionem ad hunc usum adhuc accommodis, sed & ex corticibus & totâ arbore Sal paratur.

Sunt nimirum siccanda omnia, & in foco mundo accendenda, apertaque flammâ in cineres redigenda; ex cineribus per aquam puram & limpidam lixivium fac, aquam novam toties reaffundendo, donec omnis salsedo extracta sit. Lixivium filtratum in vase fictili vel tigillo ad carbones lento igne coque,

coque, ut aqua exhalet & Sal relinquatur. Qui reiterata ſolutione filtratione & coagulatione, purificandus eſt.

Illuſtriorem hujuſmodi Sales purificandi modum mediante ſpiritu ſeu oleo ſalis communis videre licet in Enchirid. Hermet. Finck. cap. 19.

Quidam hunc proceſſum laudant:

℞. Cineres Sambuci combuſtæ, & ſulphur æquali pondere: Miſta calcinentur igne Reverberii, vel in fornace figulina: extrahe poſtea cum Aquâ florum Sambuci Lixivium, quod filtratum & ad dimidium lento igne abſumtum reponet in cellam ſubterraneam, ut Sal inde in cryſtallos concreſcat.

II. SPI-

II. SPIRITUS SALIS SAMBUCI.

℞. *Salis Sambucini* ℔ j.
Boli communis ℔ iij.

Optimè trita ac invicem miſta impone retortæ luto obductæ, adhibitoq; recipienti amplo & clauſis commiſſuris ignem gradatim admove. Primo exſtillabit humor aqueus, hinc ſequentur ſpiritus : auge ignem & in eodem gradu ſerva, ne ſpiritus remittant ; idque eouſque donec nihil ſpirituum amplius egredietur, Recipienſq; clarum fiat. Refrigerato vaſe, lutoque, quod Retortæ collum cum recipiente colligatum tenet, linteo madido per horam, donec recipiens abſque vitri fractione abſtrahi poſſit, humectato, invenies ſpiritum ſalis Sambucini, qui repetita per Balne-

um

um destillatione à phlegmate suo liberandus erit.

Lutum pro Retortis loricandis, iisdemque cum Recipiente collutandis vide apud Euonymum Philiatrum part. 1. & 2. Dn. Libavium lib. 1. Epist. Chymicar. epistol. 24. Beguinum lib. 1. Tyroc. Chym. c. 6. & alios.

Alii alios hujusmodi spiritus ex Salibus Vegetabilium destillandi modos praescribunt: quorum etiam ὡς ἐν παρόδῳ mentionem facit Clariss. Dn. Sennertus Institut. Medic. pag. 1215. Possunt tamen illi omnes adhiberi, quibus in destillatione spiritus salis communis utimur: de quibus vide allegatum Dn. Sennertum, & Beguinum lib. 2. Tyrocin. Chymic. cap. 6. & alios.

ANA-

ANATOMIÆ SAMBUCI,

SECTIO TERTIA.

Praxin Sambuci & hujuſdem Medicamentorum exhibens.

COnſiderata fuit hactenus Sambuci Natura, Forma, Locus Natalitius, & aliqua ex parte Vires & qualitates: ſubjectaque præcipuorum Medicamentorum delineatio perbrevis, ac quoad ejus fieri poterit, dilucida ac perſpicua: ſupereſt, ut eadem brevitate Praxis annectatur, monſtretúrq; quomodo eadem in graviſſimis ac præcipuis Corporis noſtri affectibus utiliter uſurpanda, aliáve præterea de

novo

novo paranda ſint, facto initio ab affectibus Capitis.

CAPUT. I.

De Cephalalgia.

IN dolore capitis mitigando & tollendo εὐπόειστον quarundam Mulierculararum eſt, *placenta* florum Sambuci in fundo Veſicæ poſt deſtillationem Aquæ relicta, nec tamen valdè ambuſta: quam Aceto florum irroratam Vertici applicant, ſæpéque affuſione Aceti recentis renovant. Cutem enim rarefacit, vaporeſq; digerendo abſumit.

Quædam placentam roſaceam eodem Aceto Sambucino humectatam ſimiliter uſurpant: quæ ubi color vehementior eſt, cerebrumq; admodum

admodum ſenſile, ac penetrantio-
ris fragrantiæ impatiens, ſuperiori
magis competit.

Vel:

℞. *folior. Sambuci recentium M. ij.*
florum Roſar. & Nymphea ana M. j.

Conciſis & contuſis affunde Ace-
um Sambucin. & Aquam florum
eſtillatam in æquali pondere, ſuc-
umque fortiter exprime; ſucco
xpreſſo albumen ovorum duorum
enè conquaſſatum admiſce: quò
nteola duplicata imbuta capiti
epiùs in die applicentur. Aqua
orum albumini Ovi & tantillo
ceti permiſta in Cephalalgiâ qua-
bet, inprimis verò febrili, magno
landimento, fronti, temporibus
vertici applicatur. In dolore
x *Ebrietate*, & poſt crapulam

commodè Acetum florum per ſi
adhibetur.

Aut extrahe cum Aceto & Aqua
florum ſtillatitia ex nucleis perſi-
corum, vel amygdalis amaris E-
mulſionem lacteam, quâ linte
madida Vertici & fronti ſæpiù
impone.

Succum Sambuci Cerebri colle-
ctiones, privatimque membrana
quæ circa Cerebrum eſt infuſu
lenire perhibit Plinius.

Ad vapores à capite revellendo
ſomnumque gratum conciliandu
tale fieri poteſt decoctum, qu
tempore ſomni pedes & brach
fricentur.

℞. *Umbell. Sambuci florib. ple*
N°. vj.
Anethi N°. iiij.
flor. Chamomil. Romani M.
Cap. Papav. c. ſemin. N°.

Conc

Concisa decoq. in Aqua fluviatili. Si à Ventriculo, Utero, aliisve corporis partibus malum hoc fomentum habeat, illis prius prospiciendum erit, eâ ratione, quæ in singulis singulatim recensebitur. Topica hic attigisse sat esto.

CAPUT II.

De delirio & Vigiliis.

PRoderunt hic eadem, quæ jam in Cephalalgiæ medelâ proposita sunt, cum & non rarò soleat adesse, aut præcessisse: additis tamen semper illis epithematibus granis aliquot Opii, vel parum semin. papaveris albi, ad æstuantes & ferocientes spiritus edomandos & sopiendos. *E. G.* ℞. *Aq. flor. Sambuc. opt.* ℥ *iiij.*

*Nymphe*æ
Rosar. ana ℥ ij.
Opii Thebaici ℈ ʃ.
Aceti Sambucin. p[illegible]
dissolut. Opii ʒ *vi*..

Misceantur pro Epithemate, qu[illegible] lintea duplicata aut triplicata ma[illegible] defacta Vertici & fronti tepidè ap[illegible]plicentur.

Aut loco Opii adde semin. p[illegible] paver. alb. unciam unam, & fi[illegible] pinsendo l. a. Emulsio, cui albu[illegible] unius Ovi benè conquassatum ad[illegible] poterit.

Si alvus astricta fuerit, dissolv[illegible]tur Syrupus de succo baccaru[illegible] uti & infusionis florum *Sambuci* [illegible] uncias tres vel quatuor in Aq[illegible] florum, ac instar Julapii, quan[illegible] sitis urget, exhibeatur. Non solu[illegible] enim alvum laxabit, sed simul g[illegible]tam quietem spiritibus concilial[illegible]

C[illegible]

Cum Peſtis *Anno.* 1626. Hainæ graſſaretur, & Cephalalgiæ, cum Vigiliis ac Deliriis apud plurimos nfectorum increbreſcerent: relaum mihi eſt à Viro quodam fide ligno, ſe nullum præſentius renedium ad vapores illos venenaos diſcutiendos, ſoporemque coniliandum in ſuomet ipſius aliorumque corporibus poſt Univeralia expertum eſſe, quàm flores *ambuci* capiti circumalligatos.

CAPUT III.

De Melancholia ac inprimis Hypochondriaca & flatulenta.

N Melancholia Hypochondriacâ non inutile eſt, primùm omium, ſi æger ad vomendum pronus fuerit, Oleo infuſionis florum

Corticumque *Sambuci* vomitum promovere, ne à præparantibus & purgantibus, crudi ac excrementitii illi humores in Ventriculo non rarò cumulari soliti, ad penitiores corporis partes deducantur, obstructionesque augeant.

Vel exhibeatur de Syrup. ex succ. Turion. & baccar. ana unc. una vel sesquiuncia cum granis aliquot extract. scammonii & gutt. iij. Ol. flor. *Sambuci* destillat. in Aquâ florum stillatitiâ.

Vel applicetur Clysma, quod infra cap.22. præscriptum extat.

Postea Vina quæ ex baccis & floribus præscripta sunt, non infimum sibi locum vendicant. Obstructiones enim sensim reserant, humores crassos incidunt, eosdemque per loca obvia pedetentim eliminant. Spiritus præterea tùm Vitales, tùm

Anima

Animales recreant. Propinetur manè per integrum menſem Cyathus unus, ſumto prius uno vel altero cochleari carnis brodii, aut ovo tremulo.

Ut feliciùs operentur, poterit horundem uſui ſingulis ſeptimanis ſemel vel bis admiſceri *Pulvis Turionum Sambuci Polychreſtus*, qui ita parandus:

℞. *Turion. in umbrâ ſiccator.* ℥ *s.*
Arillarum Sambuc. trochiſcat.
fol. Senæ s.s.
Sal. Sambuc. cryſtaliſ. ana ʒ *iij.*
Extract. Scammon. ʒ *ij.*
Galangæ
Maceris ana ʒ *s.*

Subtiliſs. pulveriſatis ſuperinſtilla.
Ol. Caryophyll. aromatic.
Fœniculi ana gut. vj.
Cinnamomi
Carvi ana gut. iij.

Miſceantur exactiſſimè in Mortario marmoreo pro Pulvere: cujus Doſis à ℈ j. ad ʒ j.

Trochiſcatio ſeu præparatio Arillarum *Sambuci* hæc eſt:

Recipe Eſulæ minoris infuſione Aceti, ut notum præparatæ & craſſiuſculè pulveriſatæ unciam unam. Infunde in Vini Hiſpanici, Petri Simonis ℔ 5. Macerentur per octiduum ad Solis radios, vel retro fornacem in hyeme, orificio vaſis optimè clauſo. Poſtea per chartam bibulam tranſcola, & optimè depura. Dein recipe arillas baccarum *Sambuci* mundas, exſiccatas pulveriſa, & cum ſufficienti quantitate infúſi Eſulini in paſtam redige & exicca: Exiccatam iterum eodem infuſo imbue, & in paſtam denuò ſubige, ex quâ formentur *Trochiſci*, qui exiccati uſui reſerventur.

Et quia excrementitii illi humores, circa Ventriculum & vicina loca latitantes, ac in Melancholiâ præſertim Hypochondriacâ, totoque affectu hypochondriaco, plurimum negotii tùm ægro, tùm Medico faceſſentes, vomitu facilius, quàm per alvum factâ purgatione evacuantur, commodè hìc exhiberi poterit *Oleum arillarum Sambuci*, infuſione Antimonii cumprimis aſperſarum, & expreſſione, ut ſupra ſectione 2. edoctum fuit, factum; paulóque pòſt ſuperbibitâ Aquâ tepidâ vomitus provocari. Et ut obſtructiones citiùs ſolvantur, & materia è Venis meſeraicis ad inteſtina evocetur, præter interna modo recenſita, etiam extra talis fotus adhiberi poteſt.

℞. *Cortic. radic. Sambuci* ℥ j. s.
flor. Sambuc. opt. ſicc. M, iij.

Fiat decoctio in Aquæ & Vini æquis partibus addendo ſub fine majoris penetrationis ergò Aceti Sambucin. q. plac. Quo fotu ſpongia imbibatur, & tùm Venter univerſus, tùm inprimis ſiniſtrum Hypochondrium foveatur.

Reliqua vide in cap. XXIII. de Obſtructione Meſenterii, &c.

Ad alterationem Sanguinis & ſpirituum in Melancholiâ tàm verâ quàm Hypochondriacâ poſt univerſalia laudantur quoque Syrup. ex ſucco baccarum, & infuſione florum *Sambuci* parati: de quorum utroque uncia una in Aq. flor. Borragin. indies jejuno Ventriculo exhibeatur.

Videndum quoque ut indies alvus ſit aperta, quò tùm modo allegati ſyrupi, tùm etiam Clyſmata ſpectant. Clyſmatis exemplum

habetur cap. XXII. quod etiam antea citatum.

In Paroxyſmo Melancholiæ Hypochondriacæ exhibeatur cochleare Spiritus florum *Sambuci* in hauſtulo Vini Malvatici. Vapores enim adſcendentes diſcutit, & ſpiritus roborat.

CAPUT IV.

DE EPILEPSIA.

AFfectus hic, ut graviſſimus & ſummè deplorandus eſt, ita inſignia, & dixerim fermè ῥιζοτομώτατα expectat Medicamenta ab unâ ferè ſolâ Sambuco.

CURATIO INFANTIUM.

Recens natis infantulis antequam aliquid

aliquid deglutiendum præbeatur, poteſt cochleare ſyrup. infuſioni florum vel d. ſucc. baccar. *Sambuci* ad materiam iſtam putridam, citrinam, praſſinam ac quandoque piceam in Ventriculo & vicinis locis, in utero materno adhuc, collectam evacuandam commodè exhiberi.

Non ſolùm enim abſtergunt & evacuant, ſed præſervant ſimul, & malignitati reſiſtunt hi ſyrupi.

Vino, quo Mulierculæ lautiores infantulos recens editos ſtudioſè abluunt, florum *Sambuci* optimè ſiccatorum Manipulus unus immacerandus eſt. Humores enim circa articulos collectos abſumit, membraque confortat.

Commendatur & hoc:

℞. *Pulv. Turionum ſimpl. drach. s.*
Sacchari cand. albiſ. drach. j.

Bacc.

Bacc. Herb. Paris N°.9.

Deterantur in pollinem ſubtiliſſimum: De quo per novendium ſcrupuli dimidium in Aquâ florum *Sambuci*, Tiliæ, ſquammariæ, aut alio quocunque libuerit, aut fieri poterit, liquore exhibeatur.

In Paroxyſmo laudatur cochleare, quam minimum ſpiritus florum cum granis tribus vel 5. ſemin. Pœoniæ excorticatis exhibitum.

Vel:

℞. *Sem. Pæoniæ excorticat.* ʒ ij.
Aq. flor. Sambuci opt. ℥ j. s.
Tiliæ ℥ s.

F.l.a. Emulſio, quæ rotulis Manus Chriſti perlatis dulcorata exhibeatur per cochlearia.

Nutrix interdum Conſervam, ſyrupum aut Aqu. florum *Sambuci* uſurpet: aut ſumto ſpiritu, vel ſucco aut Extracto baccarum ſudo-

rem

rem proliciat, quo lac ab acrioribus & malignioribus ſeroſitatibus depuratum infanti præbeatur ſalubrius.

Nota: Novi infantem, quæ Paroxyſmis Epilepticis aliquoties correpta ſingulis ferè diebus cum clamoſis Ventris doloribus materiam citrinam & obſcurè vireſcentem infernè excludebat. Cui cùm nihil vel parùm adjumenti tùm clyſteres, tùm linctus abſterſorii afferrent, author fui Matri, cùm viderem lac ſeroſius ac tenuius eſſe, ut bis vel ter in ſeptimanâ Rob ſeu ſuccum baccarum *Sambuci* cum pulvere Cornu Cervini, uſtione præparati, permiſtum deglutiret, & ſuperbibito Aquæ florum *Sambuci* cyatho, ſudorem in lecto aut ſtuphâ provocaret. Quo facto, in infante non ſolùm inſultus iſti

Epilep-

Epileptici, verùm etiam tormina & dolores Ventris clangosi planè emanserunt, excrementaque postea Naturalibus similia sensim apparuerunt.

CURATIO ADULTORUM.

In provectioribus ætate necessarium est corpus ante omnia perbellè expurgare.

Tempore Verno macerentur Cortices radic. *Sambuci* in sero lactis vaccini, de quo saccharo parùm dulcorato indies manè bonus haustus bibatur.

Vel:

℞. *Pulv. Turion. polychrest.*
℈ ij. vel ʒ j.
Rob. Sambuc. recent. c.
Sacchar. inspissat. q. s. F.
Bolus.

Vel

Vel ℞. Bolum præſcriptum
Diſſolv. in ſero lactis, adde ſyrup
de ſucc. Turion. vel baccar. ℥ j
Miſc. F. Hauſtus.

Quòd ſi Æger ad vomendum
pronus fuerit, exhibe Oleum arill-
larum expreſſum.

Spiritus florum & baccarum
Sambuci intra & extra Paroxy-
ſmum magnis pollet viribus: po-
teſt tamen reddi præſtantior ſeq-
modo:

℞. *Cortic. medianor. Sambuci*
Rad. Pæoniæ ana ʒ *vj.*
Fol. Sambuci vel Turion. ſicc
Flor. Tiliæ ana M. j.
Sem. Rutæ ʒ *ij.*
Baccar. H. Paris N°. xx.
Spongiol. Sambuc. N°. vj.

Conciſis & contuſis ſuper infunde
Spiritus *Sambuci* q. ſ. ut palmæ
tranſverſæ altitudine ſupereminea

&

& per octiduum in loco tepido, vaſe benè clauſo, macerata deſtilla organis Vitreis in B. M. ad ſiccitatem: deſtillato ſalem ex fecibus reſiduis extractum admiſce, & in vaſe obturato reſerva pro *Spiritu Sambuci Antepileptico.*

De quo Epilepſiâ correpto in ipſo Paroxyſmo dimidium vel integrum cochleare præbeatur; repetendo poſtea ſingulis Lunæ quadris, ad μίασμα illud Epilepticum per ſudorem aut ἄδηλον διαπνοὴν diſcutiendum, cerebrúmque muniendum.

Eodem fricentur quoque in ipſo Paroxyſmo Nares, Gingivæ, & Palatum, addito tùm uno vel altero grano Caſtorei.

Excellit quoque Tinctura & Extractum granorum Actes, cujus utriuſque præparandi & exhibendi

modus

modus infra cap. XXXI. in curatione ſuffocationis Hyſtericæ, ex Pharmacopæja Dogmatic. reſtituta Joſephi Quercetani explicabitur.

Vel

℞. *Extracti granor. Actes* ℈ j.

Baccar. H. Paris pulveriſat. ℈ ſ.

Miſceantur & formentur inde pilulæ N°. xv. vel in ſpiritu *Sambuci* antepileptico diſſoluta præbeantur in ipſo Paroxyſmo.

Obiter hìc nota: Baccæ H. Paris, quibuſdam Uvæ verſæ, ſive Uvæ lupinæ, aut vulpinæ nominatæ à nonnullis Matronis pro ſecreto habentur in Epilepſiâ, quas ſemper numero impari, iij. v. vij. vel 9. in Aquâ florum Tiliæ, vel radic. ſquamariæ exhibent: quarum etiam effectum ſalutarem in aliquot infantulis expertus ſum. Cum enim aliæ baccæ quibuſdam Antidotis, ut

e:

eſt inprimis Saxonica, admiſceantur: ſemenque quod è baccis eximitur, ſemidrachmæ pondere potum, referente Matthiolo, eos maximè juvare credatur, qui aut ex Morborum diuturnitate, aut veneficiis amentiâ tenentur: in Epilepſiâ quoque eas haud minimum prodeſſe & juvare poſſe nemini mirum videatur, qui modò exactiùs humoris aut vaporis Epileptici malignam, cerebroque inprimis infeſtam Naturam perpenderit.

Quidam etiam Aquam florum per Nares crebrò attractam plurimum pollere tùm in Epilepſiâ, tùm in Vertigine curandâ affirmant: In iiſdem caſibus facies & oculi crebrò quoque eadem abluantur.

Oleo florum deſcriptionis primæ membra convulſa in ipſo Paroxyſmo blandè inungantur, quo acri-

monia

monia humorum vaporúmve mitigetur, materia conſumatur nervique confortentur.

Commendantur quoque Olea deſcriptionis ſecundæ & tertiæ ſeu deſtillatum volis manuum pedúmque uti & temporibus nuchæque illita.

AMULETA.

Traditur inſuper peculiare ex Sambuco ſuper ſalice creſcente Amuletum, ſi de Virgulto, menſe Octobri, paulò ante plenilunium collecto, ſpatium, quod eſt inter duo genicula in novem taleolas diſſecetur, eæque linteo incluſæ cum filo ex collo ſuſpendantur, ut ſcrobiculum Cordis ſeu cartilaginem enſiformem attingant: cui ut firmius adhæreſcant, faſcia linteâ aut ſericâ Corpori circumvolutâ obfirmentur,

mentur, uſque dum filum ſpontè rumpatur. Rupto filo, faſciâque remotâ Amuletum nudis manibus à nemine nec Ægroto ipſo contrectandum eſt, ſed aliquo inſtrumento apprehenſum in Aquam vel locum potiùs ſubterraneum, ubi à nemine contingatur projici aut defodi debet. Petræus Noſolog. Harmon. lib. 1. diſſertat.6. Finckius Enchirid. Harmon.cap.5.Cujus ratio non planè occulta eſt, cum Sambucus & ejus grana huic morbo proſint. Verba ſunt Henrici Petræi loco citat.

Sunt qui Sambuco ſuper Tilia creſcenti parem efficaciam tribuunt, cum ibidem non ſolùm Sambucus, ſed & ipſa Tilia peculiari dote Epilepſiæ adverſetur. Nonnulli crucem è Sambuco & ſalice ſeſe mutuò amplexantibus de collo

lo infantibus appendunt. Henr. Petr. loco allegat.

Quamvis autem inveniantur non pauci, qui hujus ex Sambuco super Salice aut Tilia crescente depromti, aliorúmque Amuletorum specificam vim planè negant; rationes tamen, quas afferunt, tantæ non sunt, ut animum Veritatis avidum satis exaturent. Non enim impossibile est, ut tantillum *Sambuci* frustum cuti alligatum, morbum adeò contumacem & formidabilem jugulare & delere possit. Etsi enim sensibiliter humores vitiosos non educat: in causam tamen morbificam alio modo agere, eandémque debellare potest: Malignum nimirum illud in humoribus, Cerebróque inprimis infestum μίασμα, & quod in minimâ etiam quantitate magnas vires habet, ad se alliciendo;

do, aut alio quocunque modo expugnando. Quo exſtincto vel ſublato Epilepſiam ceſſare probabile videtur: remanentibus nihilominus húmoribus, modò ij non toti corrupti ſint; qui tùm pro conſtitutionum diverſitate neceſſariò priùs expurgandi, antequam talia Amuleta uſurpantur. Conſul. Sennert. l. d. Conſ. & Diſs.

Quod autem dicunt, eadem in omnibus non juviſſe; exinde tamen inferendum non eſt, qualitate hac Antepilepticâ nequaquam præditа eſſe: alias enim & alia plura notiora ac celebriora medicamenta in dubium vocanda, cum & ipſa non rarò in quibuſdam ſubjectis fine ſuo fallantur; idque ideò, quòd nec in debita quantitate, nec juſto tempore, nec præmiſſis præmittendis adhibeantur, aliive errores

com-

committantur, qui & optimum ac probatissimum quodvis, quo minus finem suum consequatur, impedire possunt. Nec est in Medico & Medicamentis semper relevetur ut æger: interdum docta plus valet arte malum.

CAPUT V.

De APOPLEXIA ET PARALYSI.

AD præservandam Apoplexiam & Paralysin valdè commendatur Sal *Sambuci*, si cum tertiâ parte Salis succini volatilis, qui collo retortæ in destillatione Olei succini solet adhærescere, conjungatur & tempore Novilunii vel Plenilunii à ℈ j. ad ʒ s. in liquore convenienti propinetur.

Nota:

Nota : Sal *Sambuci* optimè prius cryſtalliſetur in Aquâ ſalviæ, ſicut ſcis.

Rohob Sambucino admiſcere jubet Amwald tres partes Extracti, ſeu ſucci ex Elleboro nigro expreſſi, exindéque ſpecificum promittit, quod ad Apoplexiam & alios graviores Cerebri affectus præcavendos mirè commendat : cujus præparandi & exhibendi modum, ſi cui placuerit, videre & reperire licebit in tractatu ſuo, quem vocat *Wahren Bericht von* Panacéa Amwaldina, fol. 23.

Pulvis Turionum Polychreſtus non ſolùm Ventriculum & vicina viſcera, verùm quoque Cerebrum ab humoribus craſſis pituitoſis ſeroſis, expurgat. De quo drachma una, quoties opus fuerit, in formâ pilulari exhibeatur.

Utile quoque eſt in frigidis hiſ[...] Cerebri affectibus Oxymel Sam[...]bucinum: de quo ſæpiùs, ante pu[...]gationem præſertim unciæ duæ v[...] tres Aquâ Salviæ parum dilu[...] exhibeantur, ad materiam illa[...] craſſam incidendam & præpara[...]dam.

Valdè quoque proderit Spirit[...] è baccis deſtillatus, ſi ſeptiman[...]tim, aut ſingulis Lunæ quadris [...] cochleare unum cum modico p[...]nis ſimilaginei, & pauxillo ſacch[...] uſurpetur. Humores enim phle[...]maticos abſumit, Cerebrúmq[...] exiccat & confortat.

Aut uſurpetur loco ſimplicis *A[...]tepilepticus* capite præcedenti d[...]ſcriptus.

Vel paretur de novo talis hu[...] affectui inprimis inſerviens:

(NB. Præparetur in duplo, triplo, vel decuplo prout libuerit.)

℞.

℞. H. *Salviæ* ℥ s.
Ivæ Arteticæ,
Majoranæ ana ʒ ij.
Flor. Primul. Veris,
Lilior. convall. ana ʒ j. s.
Sem. Erucæ ʒ iij.

Quæ incisa & crasso modo pulverisata in sufficiente quantitate Spiritus *Sambuci* maceranda, & post octiduum in B. M. ad siccitatem usque destillanda pro *Spiritu Sambuci Apoplectico.* In cujus parte aliqua Castoreum dissolvi, & aliquoties transcolari potest. De quâ misturâ tempore inprimis Paroxysmi cochleare unum vel alterum, pro causæ exigentiâ, instilletur, eademque palatum, Nares, Vertex & Nucha fricentur.

De oleo florum descriptionis secundæ vel tertiæ seu destillato guttulæ 2. vel tres in aurem instillatæ,

vel palato inunctæ, aut etiam ſpi[illegible]
tui modo deſcripto additæ, re[illegible]
quorum operationem vi ſua adj[illegible]
vare creduntur.

Nota: Quæ jam dicta & co[illegible]
mendata ſunt, locum potiſſimù[illegible]
habent in eâ Apoplexiæ ſpecie, q[illegible]
à Pituitâ, alióve humore craſſo d[illegible]
pendet, ac ſenibus familiaris e[illegible]
Illi verò, quæ à Cranei compreſſi[illegible]
ne, Cerebrique inflammatione o[illegible]
tur, aliis remediis ſuccurrendum[illegible]
de quibus noſtrum non eſt hoc l[illegible]
co agere.

DE PARALYSI.

Quod ſi in Paralyſin alicujus l[illegible]
teris, vel ſaltem partis, uti creb[illegible]
ſolet, Apoplexia deſinat, univerſ[illegible]
libus iſtis ad totius corporis Ce[illegible]
brique proviſionem obſervatis ſæ[illegible]
in hebdomade ſudorem prolice[illegible]
convenit. Uti[illegible]

Utilis hic Spiritus *Sambuci* Apoplectici uncia dimidia: Item Rohob baccarum drachmæ duæ in Aq. ſalviæ.

Vel:

℞. *Extract. Rohob Sambuci* ℥ *v.s.*
Antimon. diaphoret. albiſ. ʒ. *s.*

De quibus exactiſſimè miſtis indies drachmam unam manè in unciis duabus vel tribus decocti radic. Bardanæ ſeu Lappæ majoris diſſolutam Paralytico exhibe, & ut in lecto benè opertus ſudorem per ſeſquihoram ſuſtineat, jube. Ut ſudor faciliùs & largius ſubſequatur, poteſt huic potiunculæ uncia dimidia ſpiritus *Sambuci* ſimplicis aut Apoplectici admiſceri.

TOPICA.

Membra reſoluta ac pendula bis in die fricentur, primum pannis a-

ſperis, & poſtea eodem ſpiritus baccis elicito, eſſentiâque herbarum Cephalicarum inebriato. Si enim humores illi craſſi ac viſcidi nervos alterantes, comprimentes ſpiritúmque animalem aditu vel tranſmeatu prohibentes, attenuantur & diſcutiuntur, ſpiritúſque-torpidi excitantur & alliciuntur.

Ne tamen hiſce calidis, & valide ſiccantibus materia aut nervi ipſi nimis indurentur, intermiſcendæ ſunt inunctiones ex oleo infuſionis florum *Sambuci*, tertiæ parti oleiex baccarum acinis expreſſi permiſto, quæ validorum exiccantium Vires aliquo modo attemperant, & nihilominus materiam digerendo abſumunt. Laudatur quoque in hoc caſu decoctum radicum *Sambuci* & Ebuli in Aquâ ſimplici.

Et cum crebrò Paralyſis linguæ

& exinde quædam loquendi impotentia ſeu difficultas relinquatur, lingua ſæpiùs in die ſpongiola ſpiritu Sambuci Apoplectico madidâ humectanda & fricanda erit.

CAPUT VI.

De Catarrho.

COmmendantur hic Vina ex floribus & baccis parata, quod corpus à ſeroſa colluvie optimè expurgant; de quibus mane, ſumto priùs juſculo, cyathus ſæpè ebibatur.

Pulvis Turionum Sambuci ſimplex tempore Verno & Autumnali ſcrupuli unius pondere per 14. dies manè in Ovo ſorbili, aut ſyrupo aliquo, vel cochleari uno Oxymelitis

Sambucini uſurpatus egregiè Catarrhi materiam abſumit, ſi jejunium poſt ejus uſum ad duas, ut minimum, horas imperetur.

Vel loco pulveris adhibeatur Conſerva Turionum, cum tertia parte conſerv. fiorum permiſta. Doſis ℥ *s*.

Si corpus majori evacuatione indiget, exhibe ſemel vel bis pulverem Turionum polychreſtum.

Sal Sambuci vel per ſe vel cum tertia parte Salis ſuccini volatilis permiſtum ad ℈ j. laudatur.

Item, Spiritus ſalis Sambucini hebdomadatim ad gut. vj. pluréſve in brodio Carnis.

Item, Spiritus baccarum florúmve à Cochleari uno ad duo cum mica panis & ſaccharo.

De reliquis, ac inprimis ſudoris provocatione, quæ in hoc affectu, adh

ad abſumendam ſeu abundantiam, nonnunquam etiam conducibilis eſt, conſulatur caput antecedens.

CAPUT VII.

De Odontalgia, ſeu dentium dolore.

Cum hic creberrimè à Catarrho oriatur, ea præmittenda & obſervanda, quæ in Antecedentibus ſunt propoſita.

TOPICA.

Topica hic ſaltem ex Sambuco exhibere lubet. Radices ejuſdem in Aceto & Vino decoctas & gargariſatas, pro ſingulari experimento commendat Raymundus Mindererus in Medic. Militari cap. 10. nec

ab ullo quopiam medicamine tam
repentinum levamen in dolore ho
intenſiſſimo ſe cognoviſſe teſtatur.
E. G. ℞. *Rad. Sambuci in taleol.*
diſſect. ℥ *ij. s.*
Aceti Sambuc. vel ſimpl.
Vini albi an. ℥ *vj.*
Coquantur pro collutione oris, quæ
ſæpiùs expuenda & renovanda.
Vel ℞. *Cortic. median. Sambuc.*
& flor. ana M j.
Spongiol. Sambuc. N° j.
Coq. itidem in ſ. q. Aceti & Vini
& uſurp.

Ubi *Vermium* ſuſpicio in dentibus excavatis adeſt, foveæ infarciatur, aut dente ſaltem mordicus teneatur ſpongiola Sambuci. Vapor etiam ex decocto præſcripto per infundibulum in os poteſt excipi.

Dentiſcalpia, uti & Cochelaria quidam

quidam ex ligno Sambucino efformant, quibus insignem Vim à dolore præservandi tribuunt.

Vulgus eadem dentiscalpia, cruore inter scalpendum madefacta, caudici Sambucino, Sole matutino irradiato impingit, locúmque denudatum proprio cortice reconditum aut obvolutum resinâ pinea oblutat, & hoc modo Odentalgiam quamvis curare nititur.

Verum quâ ratione id fieri possit, nondum satis liquet: cum forsan insitioni illi ea adscribantur, quæ potius sanguinis per puncturam emissioni seu exstillationi, vel moræ temporis diuturniori, quâ etiam aliàs dolores isti tandem sopiuntur, jure meritò assignanda forent. Unicuiq; homini libero licet in re literaria, & quod non nolit admittere, & quod nolit repudiare. Scalig.

lig. exercit. 183. ſect. 11.

Quod ſi ob affluxum gingiv[illegible] malæq; intumeſcant, illitus fiat co[illegible]leo infuſion. florum Sambuci, im[illegible]ponatúrq; eorundem ſtymma ſe[illegible] craſſamentum: Nam digerunt & reſolvunt.

CAPUT VIII.

De affectibus Oculorum.

PIlulam Sambuci in Aqua com-muni vel Roſarum maceratam aliáve convenienti, Chyrurgos ad dolorem leniendum oculis applica-re ſolere obſervavit & annotavit Feliciſs. quondam Platerus Tom. 2. Prax.

Aqua florum Sambuci, cum a-quâ portione Aquæ roſaceæ per-

miſta

miſta dolores Ophthalmicos mirè demulcet viſumque roborat. Cui interdum aliquid Tutiæ præparatæ ad pruritum faciliùs ſedandum cum nodulo immergendum, ſpongiolaque Sambucina in Aqua Pulegii macerata Nuchæ applicanda.

Utilis etiam eſt ſequens Liquor palpebris cum plumâ inunctus :

℞. flor. Sambuc. M. Junio, ante ortum ☉lis collect. & à ſtipitibus mundat. q. v. Contunde in Mortario marmoreo & inde Vitro, quod obturetur & per menſem radiis ☉laribus exponatur. Hinc paſta ſecalina fermentata involvatur, & cum reliquis panib. in furnum piſtorium ad coquendum immittatur. Quo exempto ac aperto liquorem quendam oleagineum reperies, quem in alio vitro accuratè aſſerva.

Folia

Folia tenera ac recentia cum po-lenta illita inflammationes mitiga-re, resolvendo nimirum & digeren-do supra à Dioscoride edoctum fu-it, quæ & hic in Ophthalmiâ præ-missis universalibus usurpari pote-runt exteriùs imposita. Vel poti-ùs tale Cataplasma, quod & in tu-more palpebrarum vehementiori, ita ut oculus planè absconditus fu-erit, plurimum contulit: ℞. Mu-cilag. sem. Psyllii & lini cum Aq. fl. Sambuc. opt. extract. ana ʒ vj. adde Ol. Sambucin. ℥ *s*. farinæ flor. q. s. M. f. Cataplasm.

Spongiolis Sambuci in Aq. flor. opt. maceratis, ut instar Galredæ intumescant, sordes ac sanies in prædictis Vitiis, necnon ulceribus & vulneribus oculorum optimè detergentur, superimposito mox folio Sambuci tenero ac recenti.

Cineremi

Cinerem foliorum inſufflatum etiam incipientem panniculum abſumſiſſe perhibent.

CAPUT. IX.

De vitiis Aurium & Auditus.

DOlores aurium demulcet fotus ex decoctu florum Sambuci Chamomeli.

Poteſt etiam utiliter inungi oleum infuſionis florum: vel additâ farinâ florum fiat ex eodem Cataplaſma, quod toti regioni Auris calidè imponendum.

Difficultatem Auditus ex humoribus & vaporibus craſſis organa auditoria occupantibus, præmiſſis Univerſalibus, vel pulvere Turionum Sambuci polychreſto, emendabit

bit Vapor ex decocto radicum & foliorum ſambuci in Lixivio facto; quo etiam lixivio, ſi imprimis Origanum addatur, aures ſæpè eluendæ & iterum probè exiccandæ ſunt.

Tinnitus, ſibilos, & varios ſonitus idem vapor tollet: quibus etiam medebitur guttula una vel altera Olei florum deſcriptionis ſecundæ vel tertiæ bombace in formam turundæ contortâ excepta & intruſa. Flatus enim, à quibus hæ affectiones oriuntur, diſcutit & abſumit.

Quidam, quibus Olea ob unctuoſitatem ſuſpecta ſunt, ſpiritum florum aut baccarum, Apoplecticum præſertim, eodem modo inditam præferunt: qui ob vim ſuam penetrantem etiam egregiè diſcutit.

Ad ſordes aurium exulceratarum extergendas, vermeſque enecandos

utilis

utilis eſt ſuccus è recentibus foliis cum pauco Vino expreſſus & inſtillatus. Idem etiam vulnera & ulcera ibidem emundat & conſolidat. De quibus infra cap. peculiari.

CAPUT X.

De vitiis Naſi & Odoratus.

ODoratum imminutum poſt gravium Morborum inſultus reſtituere prædicatur Aqua florum Sambuci optima Narib. crebrò attracta.

In exulceratione narium à Catarrho ſalſo Aquæ foliorum & corticum proſunt, cum detergant, ſiccent & conglutinent.

In exulceratione graviori ubi etiam Caro luxuriat, utilis eſt ſpiritus

tus ſalis ſambucini, qui reliquis ad-miſtus carnem luxuriantem abſu-mit, & putredinem ulteriorem co-hibet. Videantur & ea, quæ infe-riùs in curatione ulcerum propo-nentur.

Ad Hæmorrhagiam Narium ſi-ſtendam commendantur à Gabe. Rovero Spongiolæ, quæ caudici ſambucino adnaſcuntur, exiccatæ, pulveriſatæ, & in convenienti liquo-re propinatæ.

Utilis etiam hic eſt Tragea gra-norum Actes, quæ inferius in cu-rat. Dyſenteriæ deſcribetur. Doſis drachma dimidium vel ſcrupuli duo in cochleari uno vel altero Syru-pi Corallini Quercetani, vel in Vi-no Rubro ſtyptico, aut aquâ deſtil-latâ ſpermatis Ranarum, Burſæ pa-ſtoris, Portulacæ, &c. Vel fiat ex Trageæ & Spongiolarum modò

dictarum

dictarum æquis partibus Pulvis, qui tùm in recensitis liquoribus propinandus, tum leviter & leniter insufflandus aut Naribus attrahendus.

CAPUT XI.

De Faciei et Capitis vitiis.

MAculas pustulásve faciei detergunt & exiccant Aquæ foliorum & Corticum Sambuci destillatæ, si crebrò facies iisdem abluatur.

Oleum infusionis florum cutem extergere, ac nitidiorem reddere Dispensatoria prædicant.

In lentiginibus vulgò *Sommer-Spreussen* commendatur, ex signatura fotus ex floribus in Aquâ decoctis,

coctis. Flores enim Sambuci maculati ſunt. Osvv. Crollius in tractat. deſignatur.

Fructum illitum capillos denigrare docuit Dioſcorides: Experimentum hoc illis utile foret, qui anxiè in crine rubro tingendo laborant: quamvis capillorum iſte color plurimis plus gratiæ, quàm dehoneſtamenti conciliet. Quantum verò Vetalis, quibus turpè videtur canos alere, indulgendum ſit, edocuit nos GALENUS lib. 1. de Compoſ. Medicament. ſec. loc. cap. 3. Sed hæc transcurſoriè & propter verba Dioſcoridis.

Radices Sambuci minutiſſimè inciſas, addito ſeminis ſtaphid. Agriæ modico, eoque in Lixivio, quo caput *furfuribus*, aut *pediculis* ſcatens abluatur.

Idem decoctum Infantium *Tineæ* ſeu

ſeu *Favo* medebitur : quod ſi nimis forte fuerit, & dolorificum, decocto florum & foliorum diluatur. Dolorem quoque Oleum infuſionis florum illitum mitigabit, ſi poſt ablutionem blandè illinatur.

Oleum è baccarum acinis expreſſum, tertiæque parti Therebinthinæ agitando permiſtum & inunctum, quaslibet capitis exulcerationes extergendo, ſiccandoque curare prædicatur, ſuperimpoſitis ſaltem foliis Sambuci integris. Utile etiam eſt Oleum ſaccharo-ſambucinum.

CAPUT XII.

De Oris & Faucium vitiis.

MUlierculæ quamprimùm aliquid vitii in faucibus suorum infantulorum suspicantur, *Spongiolam* Sambuci potui assumendo immergunt, eademq; intumescente & turgidâ sordes palati, linguæ, ac gingivarum studiosè abstergunt.

Succus foliorum expressus, & cum Melle simplici vel Sambucino mistus ulcera gingivarum & faucium egregiè abstergit & siccat, si vel penicillo illinatur, vel in Aquâ foliorum Corticúmve dissolvatur & gargarisetur.

Majores detergendi & purificandi vires, ipsi conciliabis, si de sale Sambucino aliquid admiscueris, vel eundem

eundem ſuccum in Lixivio dilutiori diſſolveris, & pro gargariſmo uſurpaveris.

Ubi Ulcera ſunt maligniora, & quæ præſertim lues gallica produxit, utilis eſt ſpiritus baccarum, in quo priùs tantillum flor. 🜍r compoſitor. diſſolutum fuerit, quo ſpongiis vel peniculis excepto ulcera bis in die fricentur, & mox decocto foliorum eluantur, inſperſo quoq; aut inflato Medullæ ſambucinæ tenui polline.

Tonſillæ intumeſcentes à Catarrho tenui ac ſalſo gargariſentur Aquâ vel decocto florum Sambuci, cui pauxillum Mellis Sambucini admiſtum ſit: Pro linctu utile eſt Rohob Sambuci cum ſaccharo inſpiſſatum, id quod Mulierculis noſtratibus conſuetum, & familiare eſt remedium. Poteſt etiam adhiberi

beri syrupus de succo baccarum vel infusion. florum, aut horundem Mel.

Extus illinatur Oleum infusion. florum sambuci, quod resolvit.

In ANGINA præmissis universalibus, modò dicto gargarismo, addantur folia prunellæ cum una vel altera spongiolâ Sambuci, quæ hic certissimo experimento commendantur, & à quibusdam *Auriculæ Judæ* appellantur. Pena & Lobel. in Adversar. stirp. Nov. pag. 434.

Linctus hic sit idem, nisi quod itidem aliquid de spongiolis pulverisatis addatur.

Vel fiat tale Eclegma:

℞. Spongiol. sambuc. N° ij. vel iij. Macerentur per horam unam vel alteram in Aquæ flor. sambuc. q. s. Postea leviter ebulliant, & pistentur

ſtentur in Mortario marmoreo, & per cribrum ſetaceum trajiciantur. Huic mucilagini admiſce ſyrupi de ſucco baccar. *Sambuci*, & ſacchari penidii q.ſ. ut fiat Lambile quo ſæpiùs in die utendum. Alvum inſuper adſtrictam ſolvit.

Exteriùs applicetur Cataplaſma anodynum digerens & reſolvens ex foliis *Sambuci* & caulium rubeorum contuſis, & in oleo infuſionis florum *Sambuci* ad conſiſtentiam pulticulæ decoctis.

Calorem ſanguinis & totius corporis attemperat ſyrupus Acetoſus ſambucinus in decoctu Hordei diſſolutus, ac inſtar Julapii, quandiu opus fuerit, propinatus. Videantur & ea, quæ infra in Curatione Febris continuæ proponentur.

In *Hæmoptyſi*, ſeu *ſputo ſanguinis*, utilis eſt Tragea granorum

F Actes,

Actes, cujus etiam in Antecedenti-bus, cap. nimirum 10. mentio facta est, quæ ſyrupo aliquo convenienti excepta pro Linctu uſurpetur.

CAPUT XIII.

De Dyſpnoea & Aſthmate.

UT in hiſce affectibus id quod influxit, propriáque pulmonum ἀσθενείᾳ ſeu imbecillitate collectum eſt, exſcreetur, ſequentibus utendum eſt.

Aqua florum, in quâ tertia pars Oxymelitis ſambucini diſſoluta eſt, & inſtar Julapii bis indies ad uncias tres vel quatuor ebibitur, craſſam illam materiam incidit, & ad eductionem per ſcreatum facilitat.

Idem Oxymel Saccharo penidii parum

parum inſpiſſatum, & cum baculo liquiritiæ pro linctu uſurpatum, ſenſimque deglutitum in expectorando egregium eſt.

Utiles quoque ſunt ſyrupi florum, de ſucco baccarum, Turionum &c. eodem modo abliguriti.

Cortices *Sambuci* ingrediuntur etiam celebre illud Oxymel Elleboratum Geſneri.

Spiritus baccarum in ſummâ dyſpnœâ valdè proficuus eſt, dimidii aut integri cochlearis pondere cum ſaccharo exſorbitus.

Si lubet, ordinetur ſequens *Aſthmaticus ſeu Pneumaticus.*

℞. *Cortic. medianor. Sambuc.*
Glycyrrhizæ optimè deraſæ
ana ℥ *vj.*
Rad. Helenii
Ireos Florent. an. ℥ *ij.*
Eryſimi cum toto M. ij.

Sem. fœniculi ℥ s.

Concisa & conquassata infunde sufficientem quantitatem spirit granorum Actes, stent in infusio per septendium bis indies agitand post destillentur in B. M. pro spiri tu *Sambuci* Pneumatico.

Qui urgente necessitate vel per pauxillo sacchari vel syrupi viola dulcoratus usurpetur: Vel paretu ex eodem cum saccharo Canar seu Maderensi *Oleum Saccha Sambucinum* sequentem in mo dum:

℞. Spiritus hujus Pneumati rectificati quantum cupis: admis sacchari partem dimidiam. Ac cende spiritum candelâ cereâ, au papyro accensâ, tamdiu cultell hinc inde agitando, donec omn in spissum, & oleagineum liquo rem, flammâ spontè extincta abie rint. Uter

Utere Eclegmatis inſtar cum bacillo liquiritiæ, vel per ſe, vel cum æquali parte Oxymelitis ſambucini permiſto. Expectorationem ſtrenuè promovet, multòque expeditius, quam commune oleum ſacchari, cujus conficiendi modum præſcripſit Beguinus lib. 2. Tyrocin. Chymic. cap. 6.

Pectus oleo florum *Sambuci* deſcriptionis primæ in ſumma anhelitus difficultate commodè inungitur: poterunt eidem admiſceri de oleo florum deſtillato, ſeu deſcriptionis tertiæ, aliquot guttulæ.

In Catarrho ſuffocativo præter jam copioſiùs recenſita incidentia & Bechica plurimum juvat, ſi in ipſo Paroxyſmo ſpongiola Aceto ſambucino tumida Naribus admoveatur, eodémque Vertex humectetur.

CAPUT XIV.

De Tussi & Raucedine.

MUlierculæ infantibus tussientibus & inquietis Rob Sambucinum recens ac liquidius, magno blandimento parique effectu delingendum exhibent.

In majorennibus utilis est linctus ex oleo sacchari Sambucino.

In Tussi ferinâ, ubi οὐδὲν ἀξιόλογον exscreatur, & aliquid ὕπουλον metuitur, hoc mirum in modum à Vulgo laudatur:

℞. Folior. Samb. recentium, aut in umbrâ siccatorum Manip. j. Coq. in Mensurâ una Aquæ fontanæ, aut fluviatilis pellucidæ ad tertiæ partis consumtionem: Colatura:

tura Saccharo cando vel Melle despumato edulcoranda eſt: de qua indies manè & Veſperi hauſtus tepefactus exſorbeatur.

Idem etiam in Raucedine à Catarrho decentem & competentem tracheæ arteriæ aſperitatem obliniente, ortâ commendant.

Vel ubi majori deterſione opus eſt ad eundem affectum paretur lixivium ex cineribus foliorum cum Aquâ florum. De quo Saccharo vel Melle dulcorato ſæpiùs in die aliquot chochlearia exſorbeantur. Raucedinem brevi ſpatio, ſi quid aliud tollet; Mulierculæ pro ſecreto habent, non ſecus ac propriam Urinam bibitam, quæ tamen plurimis nauſeoſa eſt.

Ad vocem ſonoram comparandam experimentum, ac ſecretum Alexii Pedemontani:

 ℞. Flo-

℞. Flores *Sambuci* in Sole exic-
catos. Redige in pulverem, de quo
indies aliquid in Vino albo, jejuno
adhuc Ventriculo, exhibe.

Tuſſi & Raucedini in Febribus à
calore exiccante obortis optimè
ſubvenit, & medetur Linctus ex
ſyrup.d. ſucco baccar. *Sambuci* &
Violat. æq. partibus.

Si lubet & vacat, poteſt ad imi-
tationem Sacchari candi Violacei,
Cinnamomei, vel Roſacei confici
Sambucinum: de quo in hiſce &
reliquis pectoris affectibus conti-
nuè aliquid in linguâ teneatur, ut
ſenſim diſſolutum per aſperam ar-
teriam delabatur.

Modus componendi talis eſt:

℞. Sacchari Canarii optimi ℔ vj.
Liquefiant & bulliant in Aqua flo-
rum fragrantiſſimâ, donec craſſiti-
em conficiendis tabulis aptam ac-
quirat,

quirat, mox affusis succi baccarum recenter expressi & optimè depurati, vel infusionis multiplicis florum, prout hic vel ille color expetitur ℔ ij. Decoquantur igne moderato ad syrupi consistentiam. Tùm ollæ terreæ Vitratæ, decussatim bacillis in eâ duorum digitorum intervallo dispositis, calidè infunde, & in officinâ calefacta, vase densâ bombace involuto, justo tempore ad concretionem relinque. De quâ pleniori conficiendi ratione vide elegantissimos Medico-Botanicos P. Penam & M. Lobelium in Adversar. stirpium Novis pag. 20. & 21. nec non Clariss. C. Bauhinum lib. 1. de Compos. Medicament. cap. 19.

CAPUT XV.

De Pleuritide & Phthiſi.

IN Pleuritide ſpuriâ, nulla præ-
ſente febri, ſudorem prolicem
ſumto ſpiritu aut Rohob granorum
Actes in Aqua florum *Sambuci* &
Cardui benedicti valdè prodeſt ; i
quod ut vulgò receptum, ita ſaluta-
re remedium eſt : cum ea tum a
humore ſeroſo ac flatulento inte
pleuram, muſculos intercoſtales &
loca vicina delapſo oriatur.

In verâ Pleuritide, ubi febris con-
tinua conjuncta, cautius proceden-
dum eſt ; quamvis univerſalibus
præmiſſis, Rohob, Aqua & ſpiritus
florum *Sambuci* hic tàm metuend-
non eſſent, cum & calidiora ſudori-
fera

fera ex Carduo benedicto, Carduo lacteo, ſpiritu Tartari ſimplici & compoſito, &c. utiliter propinari videamus. Agnoſcunt enim Viri experientiſſimi non minimam in humoribus iſtis malignitatem, quæ à Theophraſto Paracelſo Veneno auripigmentali aſſimilatur, cujus proprium eſt erodere μετὰ πυρώσιως ϗ βιαίȣ δήξεως, teſte Dioſcoride li. 5. Rei Medicæ cap. 121.

BECHICA.

Ad expectorationem illius, quod in pulmones influxit, ſeligantur hic mitiora, uti ſunt ſyrup. florum aut baccarum cum ſaccharo penidio vel cando ſambucino inſpiſſatus, Aqua florum itidem inſpiſſata & pitiſſando deglutita. Ad ſanguinis ſputum inhibendum poteſt iiſdem aliquid de Tragéa granor. Actes commodè admiſceri.

TOPICA.

Extrinſecus fiat illitus oleo infuſionis florum cum adipe caponis vel butyro Majali inſulſo.

Vel fomentetur latus dolens ſæpiùs in die linteis Aq. vel decoct. florum & fol. *Sambuci* madidis. Cutem enim & reliquas partes rarefaciendo vapores & humores illos acres digerunt, reſolvunt, & exiccant.

Vel ℞. folior. *Sambuci*, florum ejuſdem, & Chamomeli ana Manip. j. Fiat decoctio in Cereviſia ſecundariâ, quæ Veſicæ bubulæ indita, & lateri poſt Venæſectionem ſæpiùs in die calidiuſculè admota mirè alleviabat Fabrum quendam in Patriâ meâ, cujus uxori, conſilium petenti, id ſuaſeram.

De

DE PHTHISI.

In *Phthisi* tùm præservandâ, tùm curanda, præter alia à Vulgo commendatur decoctum, quod supra in curatione Tussis ferinæ ac Raucedinis præscriptum fuit, si per cochlearia saltem exhibeatur, & sorbendo sensim deglutiatur. Cum enim Phthisis ab ulcere pulmonum, quod sui detersionem exiccationem & consolidationem indicat, oriatur ac dependeat; folia vel *Sambuci* addito Saccharo vel Melle modicè detergeant, siccent & conglutinent: omnibus indicationibus decocto hoc satisfieri existimant.

Mallem tamen in hoc casu loco Sacchari vel Mellis simplicis, saccharum rosatum tabulatum, vel Mel rosatum colatum substituere, & de sequenti pulvere singulis vicibus

bus ſcrupulum unum vel drac-
mam dimidiam admiſcere, præſer-
tim ubi plus ſanguinis arterioſi cum
ſputo per Tuſſim ejicitur.

℞. *Trageæ granor. Actes* ℥ j.
Spongiolar. Sambuci in furn.
exiccatar.
Ocul. ♋ *præparat. an.* ℥ *s.*
Croci Oriental. opt. ℈ *j.*
Sacchari roſat. tabulat. ʒ *ij.*

In pollinem ſeorſim trita miſcean-
tur exactè. Interim tamen cauſa
primaria hujus exulcerationis etiam
attendenda; cujus tùm dignotio,
tùm curatio aliundè petenda.

Georg. Amwald in tractatu ſuo
informatorio de Panacéâ ſuâ com-
mendat, pag. 29. in Phthiſi inun-
ctiones ex oleo florum *Sambuci*.

CAP.

CAPUT XVI.

De Mammillarum Affectibus.

QUum fœminis ob repentinum & copiosiorem sanguinis pro Lactis generatione affluxum Mammillæ crebrò, post partum inprimis, soleant inflammari, aut etiam prout ille sanguis tenuior & fervidior, Erysipelate corripi: sequentia tutò & securè adhibere licet.

Caput mortuum seu placenta florum *Sambuci* in inflammatione Aceto sambucino rubro: in Erysipelatæ Aquâ destillata florum aut foliorum irrorata tepidè applicetur. Digerit enim & resolvit quod influxit, & impactum est, ac in inflammatione ob inspersionem Aceti moderatè repellit, sanguinisque fervorem extinguit. Induratis mammillarum glandulis oleum infusionis

fusionis florum *Sambuci* inung foliâque *Sambuci* superimpone.

Exulceratis competit *lac aureum* ex lixivio communi vel Sambuc no, & oleo infusionis florum corn cúmve, forti conquassatione & gitatione paratum: in quod intin cta & expressa iterum lintea ulcer bus tepidè superimponantur. Com modum tamen est citioris ac fe licioris operationis ergò pulve rem ex foliis *Sambuci* leviter infla re. Ita enim ulcus quodcunque ex tergebitur, siccabitur & incarnabi tur. De quib. & reliquis videantu infra capita peculiaria.

Novi fœminam, cujus etiam su pra cap.4. de Epilepsiâ mentionem feci, quæ sæpenumero Erysipilate Mammillarum correpta assumto Rob *Sambuci*, sudoréque in lecto moderatè provocato, nihil aliud so-

lett

et applicare parti affectæ, quàm Nodulum ex ſindone rubra paratum, cui flores *Sambuci* inſuti ſunt: & ſic omnem exulcerationem, quæ antea ipſi ſupervenerat, ſtudiosè devitat.

CAPUT XVII.

De Syncope & Lipothymia.

SYncopticos & eos, qui ſæpè graviſſimè leviſſimis quoque de cauſis deliquio animi corripiuntur, ab Orco quaſi revocat Acetum florum *Sambuci* ſpongiolâ imbibitum, & naribus admotum. Spiritus enim optimè refocillat; unde etiam in omnibus Epithematibus reliquis Cordialibus admiſtum magni æſtimatur à Medicis.

Huic etiam ſoli lintea immergantur,

tur, & pulſibus juxta tempora, i carpo & pede utroque juxta tale (las applicentur.

Vel fiat tale Epithema, quo etiam facies & volæ manuum abluantur.

℞. *Aqu. florum Sambuc.* ℥ *iij.*
Roſar. incarnatar. ℥ *ij.*
Aceti flor. Sambuc. ℥ *s.*
è bacc. rubr. ʒ *ij.*

Miſceantur.

Commendatur & hìc Tragéa granorũ Actes ſeq. modo concinnata.

℞. *Trageæ granor. Actes*
Cinnamom. mors. elect.
ana ʒ *j.*
Caryophyll. aromatic.
Galangæ
flor. Sambuc. ſine ſtipitib.
ana ℈ *j.*
Sacchari roſati
Anthoſat. tabul.
ana ℥ *ij. s.*

Fiat

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus: de quo imbecillitate Cordis laboranti drachmæ dimidium in Vino vel convenienti liquore alio exhibeatur.

Mulierculis, quæ ex Uteri Vitio ſæpè animo linquuntur, quomodo Medicamentis ſambucinis ſuccurrendum ſit, conſulantur ea quæ inferiùs cap. 26. adducentur.

CAPUT XVIII.

De Febribus in Genere.

Ac. I. de Intermittentibus.

VUlgus quam primum inſultum quendam febrilem perſentiſcit, aſſumto *Rob Sambuci* in Aceto vel ſpiritu, aut Aquâ florum ſe ſtragulis benè coopertum ad ſudorem

rem diſponit. Id quod nec Medi
Rationales improbant, cum exp
rientia teſtetur, ingruentes febr
hoc modo nonnunquam præc
veri.

Ratio autem maximè probabil
videtur hæc eſſe, quòd inquim
mentum illud putredinale hoc mo
do ſtatim diſcutiatur, corpuſq; ven
tiletur; quod ſi in corpore relin
queretur, indies procul dubio majo
rem putredinem, febrémque diu
turniorem excitaret; prout hac d
re eruditè diſſerit, Clariſs. D. D
Sennertus in tractat. de Febribus.

Videndum tamen ut hoc non ni
ſi in Principio fiat, in iisque ſalte
præterea corporibus, quæ non mag
nâ cacochymiæ ſuburrâ ſcatent.
Alias enim ſatius & tutius eſt pri
mas vias vel totum corpus Emeti
cis & Catharticis priùs expurgare.

EMETIC

EMETICA ET CATHARTICA.

Oleum è baccarum acinis expreſſum & depuratum commendatur in corporib. validis & robuſtis, drachmæ vel ſeſquidrachmæ pondere in juſculo carnis abſorptum: Vomitum enim ciere & alvum quoque blandè ſubducere, non abſq; ſingulari corporis ἐυφορίᾳ prædicatur.

Idem etiam dicitur de ſucco ex Cordicibus radicum expreſſo, & in eadem vel paulo majori quantitate abſorpto. Bernhardus de Gordonio in tractat. de conſervatione Vitæ humanæ tantum jubet aſſumere, quantum dimidio teſtæ Ovi gallinacei capiatur.

De Vino infuſionis Corticis radicum Sambuci ad vomitum provocandum

candum & ventrem evacuandum à malis humoribus, vide inferius cap. 28.

Oleum infuſionis florum aut corticum Sambuci ab unciâ unâ ad duas vel tres epotum vomitum etiam provocat, & alvum ſubducit.

Idem poteſt quoque per ſe vel decocto alicui additum per clyſterem infundi.

Non ſolùm bilem utramque, ſed & pituitam ac humorem ſeroſum evacuat pulvis Turionum polychreſtus, de quo in febribus calidioribus ac Tertianis in ſero lactis in frigidioribus & Quartanis in Vino à ℈ j. ad ʒ j. vel ℈ iiij. pro virium robore exhibeatur.

Vel formentur ex eodem cum Syrupo aliquo, vel mucilagine Tragacanthæ pilulæ, modóque dicti liquores ſuperbibantur.

Im-

In minorennibus Syrup. de ſucco baccar. Turionum Corticum, &c. ſufficiunt.

Vulgus hoc laudat: Accipe ſeri lactis Caprilli Cyathum, unciarum quatuor præterpropter capacem: Maceretur in eodem corticum medianor. Sambuci in umbra ſiccatorum unciæ dimidium. Manè colatura fortiter expreſſa calidiuſculè ebibatur.

Ubi tamen pauca quædam annotanda ſunt. Vulgum nempè perſuaſiſſimum ſibi habere, ejuſq; rei teſtem provocare experientiam multiplicem, Cortices illos intermedios deorſum à ligno avulſos per alvum: ſurſum verò abraſos per Vomitum humorem noxium expurgare.

Cujus rei fidem uti in dubium non libenter vocarem, cum idem de

de Cataputia à Medicis quibusdam assertum noverim: si tamen integrum sit meam quoq; liberè absque alterius præjudicio, & salvâ relictâ meliora statuentium sententiâ, in medium proponere, opinionem, vereor, ne diversos hosce affectus assumentium potiùs Idiosyncrasiæ ac peculiari proprietati vel ipsius humoris præsentis Naturæ & Motui assignare liceat. Nihil jam dicam de Imaginatione quâ assumentes sibi persuadeant Medicamentum assumtum sursum vel deorsum vires exêrturum, quam etiam variis modis, motu, alvi compressione suppositoriis, digiti in fauces immissione, aliisve adjuvare conantur.

Interim tamen nullatenus negatur, Corticibus hisce uti & toti Sambuco diversas vires per varia

loca

oca materiam noxiam expurgandi
ıesse : Verùm an illa virium varie-
as diverso potius abradendi mo-
o, quàm modò dictis, aliisve for-
an gravioribus sit imputanda, du-
itatur. Id quod doctioribus alti-
s perpendendum relinquo, & ad
eliqua progredior. Caules & fo-
a olerum modo cocta pituitam &
ilem purgare ex Dioscoride patet:
uibus tamen germina seu asparagi
ræferuntur, si tempore Verno,
uo haberi possunt in Aquâ fervidâ
riùs parùm macerati, cum Oleo
Aceto præparentur, & loco Sa-
ti ante cœnam modicè esitentur.
lvum enim blandè movent, ob-
ructiones & infarctus mesenterii
ferant, & à febribus curatu con-
macioribus sæpiùs esitati tùm li-
rant, tùm præservant.

Horundem loco utilis est Conser

va Turionum cum conſervâ floru[m] permiſta. De qua indies uncia di[-] midiâ horâ unâ ante cœnam in A[-] quâ Cortic. exhibeatur.

INCIDENTIA.

In ejuſmodi febribus à Venaru[m] meſeraicarum infarctu, humoriſ[q;] craſſitie ac lentore prolongati[s] Nothis ac ſpuriis commendatu[r] *Oxymel Sambucinum* in Aquâ flo[-] rum deſtillatâ, vel Hordei diſſolu[-] tum & indies diebus ἀπυρεξίας ho[r] unâ vel alterâ ante cœnam ebib[i-] tum.

Utilis quoque Sal Sambuci cry[-] ſtalliſat. à ſcrupulo dimidio ad in[-] tegrum: item ejuſdem ſpiritus a[d] gut. vj. in brodio carnis.

Hæc enim omnia Obſtruction[es] potenter deobſtruunt, humor[um] craſſitiem ac viſciditatem incidun[t]

Viſcera

Viſcera ac vaſa abſtergunt, & tùm per urinam, tùm per ſudorem, aut ἄδηλον διαπνοὴν materiam febrilem diſcutiunt. Plura videantur infra cap. 23.

ANTE PAROXYSMUM INTERNA.

Quæ ante Paroxyſmum adhibentur in duplici ſunt diſcrimine: Alia enim Vomitum & Alvum movent, alia ſudorem provocant.

Quando tempore Paroxyſmi materia ſurſum vergit, id quod ex repentinâ pectoris anguſtiâ, Hypochondicorum tenſione, nauſeâ, & ad evomendum propenſione innoteſcere ſolet, propinetur *Olei* ex baccarum arillis expreſſi cochleâre mediocre, vel ſeſquidrachma in Cereviſiâ tepidâ, digitisque in fauces immiſſis Vomitus acceleratur.

G 2 Joſeph.

Joſeph. Quercetanus lib. 1. Pha[r]macop. Dogmat. reſtitut. cap. 8. [ad] febres intermittentes Quotidiana[m] & Quartanam ſequens decoctu[m] purgans, optimum eſſe dicit.

℞. *Radic. & Cortic. Sambu[ci]* *ana* ℥ *j.*
Aſari ʒ *iij.*
Cinnamom. optim. ʒ *j. s.*

Coquantur in lacte. Hoc decoctu[m] movet ſimul & ſemel Vomitum [&] ſeceſſum: Sumatur initio Parox[y]ſmi: Reiteretur ſi opus fuerit. Ve[r]ba ſunt Quercetani.

Quod ſi jam corpus evacuatu[m] fuerit, Naturaque ad ſudorem i[n]clinaverit, ante Paroxyſmum ſ[e]quentia exhibere licebit.

Rohob Sambuci inſtar Nucis j[u]glandis cum drachmâ dimidiâ pu[l]ver. Cardui benedicti permiſtu[m] deglutire, & Acetum ſuperbibere[,] poſte[a]

oſteáque in lecto horis duabus an-
e Paroxyſmum ſudorem prolicere
ulgò receptum eſt remedium.

Vel fiat talis Mixtura:

℞. *Extract. Rob Sambucini* ℥ *s.*
Salis Sambuc. ℈ *s.*

Miſceantur & formentur inde cum
ulv. Cornu cerv. pilulæ, quæ 2.
or. ante Paroxyſmum in coch-
eari ſyrupi de ſucco baccarum ex-
ibeantur. Juniori ac imbecilliori
etur ſingulorum horundem dimi-
ium.

In febribus minus ardentibus,
Quartanis præcipuè commendatur
piritus è baccis Sambuci ad coch-
aria duo vel tria ante Paroxy-
mum.

Sunt qui priùs ſequentem pulve-
em in eodem diſſolvunt, idque
Medicamentum in Quartanis con-
umacioribus non ſatis deprædica-

re possunt, si præsertim pridiè P[illegible]
roxysmi Ventriculus, & prima N[illegible]
tritionis viscera Oleo arillarum c[illegible]
timè fuerint exinanita.

℞. *C. C. sine Ustion. præp[illegible]*
☉ fix. diaphoret. albi[illegible]
ana ℈ s.

Deterantur exactè in pulvere[illegible]
subtilissimum.

Nec hìc metuenda est spirit[illegible]
hujus caliditas, cum & aliàs in i[illegible]
dem febribus Theriaca, Mithrid[illegible]
tium Myrrha, spiritus Vini, Aq[illegible]
Zedoariæ, &c. à Galeno, aliis[illegible]
Medicis celebriorib. exhibeantu[illegible]
Duro enim nodo, durus est qu[illegible]
rendus cuneus. Et testatur expe[illegible]
entia, Medicamentis hisce ante P[illegible]
roxysmum exhibitis, non solùm ip[illegible]
sum Paroxysmum horrificum sa[illegible]
penumero intercipi, verùm etia[illegible]
febrem ipsam tandem penitus toll[illegible]

qu[illegible]

quæ antea nullis tùm præparantibus, tùm purgantibus cedere voluit.

Ratio eſt, quod materia febrilis cùm temporis mobilior, & ad expulſionem à Naturâ ipſa præparata Medicamenti ductum faciliùs ſequatur.

Externa ſeu Topica.

Ad pulſus tale commendatur Topicum.

℞. Folior. Sambuci & Lavandulæ ana M s. Salis pugill. j. Minutiſſimè contuſa incorporentur cum Oleo ſambucino, ut fiat inſtar paſtæ: de quâ dimidium carpo dextro, reliquum ſiniſtro applicetur, faſciáque Aceto ſambucino madida obfirmetur.

Felix Platerus hoc habet, part. 2. Praxeos:

℞. Folior. Sambuci, Rutæ, Calendulæ, Urticæ ana M j. Contun-

dantur cum Sale & Aceto: Appl
centur.

Linteum duplicatum Spiritu gra
norum Actes imbutum Ventri in
feriori, & inprimis Ventriculo ant
invasionem seu Paroxysmum mag
no applicatur cum juvamine i
Quartanis. Cum enim fomes ma
circa hasce sedes stabuletur, appli
catione hujus Epithematis, si non
penitus discuti, tamen plurimùm
mitigari posse videtur.

Ad rigorem & horrorem tollen
dum vel mitigandum idem spiritus
spinæ dorsi calidè affricandus.

II. *De Continuis & Ardentibus.*

In febribus Continuis uti & Ter
tianis calidioribus ac ardentibus,
ubi calor intensior est, sitisque in
gens febrientes excruciat, tale fieri
potest Julapium.

℞. Aq.

℞. Aq. fontanæ ſeu fluviatilis priùs coctæ ℔ iij. Aceti ſambucini uncias tres, Sacchari optimi uncias duas. Coquantur in diplomate parum: quibus calidis adhuc adde Cinnamom. pulveriſati drachmam unam. Refrigerentur per ſe in vaſe clauſo, & trajiciantur per manicam Hippocratis pro Julapio.

De quo ſæpè aliquid in die Ægro calore febrili æſtuanti porrige: Calorem enim febrilem potenter extinguit, materiam craſſam ac viſcidam incidit, tenuem ac bilioſam abſtergit, obſtructiones reſerat, humorem peccantem per loca convenientia excludit, appetitúmque gratâ ſuâ aciditate excitat, viréſque recreat.

Idem præſtabit ſyrupus Acetoſus ſambucinus cap. ſequenti deſcribendus, qui in Aquâ Hordei diſſol-

 vatur,

vatur, ut consistentiam liquidiorem instar Julapii acquirat.

E. G. ℞. *Syrup. Acetos. sambuc.* ℥ *iij.*
Aq. hord. simpl. ℔ j. M.
Vel ℞. *Oxymel. Sambuc.* ℥ *ij.*
Aquæ fontan. puriss. ℔ j. *M.*

Dentur de his & similibus qualibet vice unciæ quatuor vel plures. Alias si minori dosi & bis vel semel saltem in die exhibentur, calorem potiùs augent quàm extinguunt. P. Ægineta lib. 2. cap. 36. Ut enim carbones in caminis fabrorum humentibus scopis subindè irrigati inflammescunt ardentiùs: sic pauciori potu accenditur, non sopitur febrilis ardor, majorque accenditur bibendi aviditas, prout eleganti hoc simili utitur D. Strobelberger cap. 4. Introduct.

Ad

Ad intemperiei calidæ extinctionem, viriúmque proſtratarum recreationem loco Epithematis applica pulſibus Acetum florum Sambuci, Aquæ roſaceæ permiſtum & linteis duplicatis aut triplicatis imbibitum.

Ad alvum aſtrictam ſine noxa in hiſce febribus ſolvendum utilis eſt Syrupus de ſucco baccarum: de quo unciæ duæ vel tres in Aqua florum Sambuci diſſolvantur; Utere pro Julapio & loco potus. Alvum namque laxat, & materiam febrilem leniter evacuat.

CAPUT XIX.

De Peſte & Febribus Peſtilentibus.

IN Peſte tùm præſervanda tùm curanda uſus Sambuci maximus eſt.

Spon-

Spongiola Aceto Sambucino madida in globulo ligneo Juniperino perforato geſtata, & olfacta, ſpiritus adverſus luis graſſantis impreſſiones admodum roborat.

Eodem Aceto lateres ignitos perfundere, & vaporem excitare contagioſa μιάσματα diſcutit, & quo minus ſeſe tùm habitaculis, tùm veſtimentis inſinuare poſſint, prohibet.

Qua ratione efficaciori vi Antiloœmicâ imbui poſſit, ex mox dicendis illuceſcet.

Rob Sambuci & exindè paratum *Extractum* hìc egregia ſunt: quorum prius etiam *Theriaca Ruſticorum* à plurimis nominatur: de quo hebdomadatim portiunculam inſtar Nucis juglandis deglutire, Acetúmque proprium ſuperbibere, & ſudorem in lecto prolicere, conſuetum eſt ad præſervandum. Vulgo

reme-

emedium. Id quod & in Peſte orreptis utiliter adhibetur, ſi præ-ertim ei aliquid de pulveribus con-ra peſtem admiſcetur, vel ſaltem Cochlearia tria vel quatuor Aceti Sambucini Antilæmici ſuperbi-bantur.

Idem Rohob & præſertim recen-ius buccellæ panis ſpiſſius illitum, & horâ unâ vel alterâ ante reliqua dulia deglutitum alvum laxabit.

Cujus loco cochleare unum vel lterum Syrup. de ſucco baccarum xhibeatur.

De Extracto ſufficit interdum manè antequam exieris, portiuncu-am inſtar piſi deglutire.

Rohob & Extractum Sambuci Antilæmicum.

℞. *Rad. Tormentillæ,*

Petaſi-

Petasitidos,
Pimpinell. Angelic
Folior. Scordii,
Baccar. Juniperi ana ℥ : s
Radices macerentur horas 24. in Aceto sambucino : postea lentè exsiccentur, & seorsim pulverisatis adde fol. Scordii & Baccas. Juniperi itidem pulverisat. Misceantur omnia, & residuo Aceto aspersis subigantur, quàm exactissimè cum *Rohob Sambuci* ℔ j. in formam Opiatæ : de quâ infecto drachmæ duæ in liquore convenienti exhibeantur, ad sudorem proliciendum, Venenúmque à Corde propulsandum.

Ex quâ etiam, superaffuso spiritu Sambuci, *Extractum* eâ ratione, quæ supra section. 2. cap. 1. tradita fuit, parari potest. Cujus Dosis in infectis à ℈ j. ad ʒ j. in liquore convenienti.

Spiri-

Spiritus Sambuci per ſe quoque hìc plurimùm pollet, tùm in præſervando ad guttas aliquot manè cum modico panis ſimilaginei uſurpatus, tùm etiam ad cochleare unum vel alterum in principio invaſionis, ubi calor febriſque nondum invaluerint, exhibitus.

Is tamen, qui in præparatione Extracti Antilœmici modò præſcripti per Alembicum abſtractus eſt, longè nobiliores vires obtinet, cum de volatili illorum ſimplicium Bezoarticorum eſſentiâ multum ſecum abſtulerit.

Vel infundantur ſaltem eadem ſimplicia in ſpiritum Sambuci, & per aliquot dies macerata tranſcolentur pro ſpiritu Sambuci Antilœmico, cujus vires tùm in curando, tùm in præſervando non ſatis laudari poterunt.

Iiſdem

Iisdem Alexiteriis, & præsertim radic. Angelicæ, & bacc. Junipe[ri] si Acetum Sabucin. rubrum descri ptionis meæ imprægnatur, exurg[it] inde *Acetum Sambuci Antilœmi cum*, quod non solùm vehiculum est reliquis Medicamentis Alexi pharmacis, verùm etiam solum u[s]urpari potest, quando calor intensior febrisque ingravescens, spiritum & cætera Medicamenta callidiora respuunt.

De spiritu Salis sambuci guttulæ aliquot in jusculo carnis præservationis ergò utiliter exhibentur.

Nec insalubre est, si semel vel bis in septimanâ Cyathus unus Vini è baccis parati manè hora una vel alterâ ante prandium, sumto tamen priùs, ut aliquoties monitum, jusculo exhauriatur. Alvum etenim laxat, putredinem arcet, & ob Bezoarti-

oarticam baccarum vim Corpus à
ontagio præſervat.

De Vino, quod è baccis ex icca-
is ſupra præſcriptum eſt, & ſtoma-
hum roborat, interdum cyathus
nus in Cœnâ ebibatur.

Oleum ſpecialius Topicum.

Quidam ſubſequens ſummoperè
ommendant Oleum in Peſte.

Accipe flores Sambuci, imple iiſ-
dem cucurbitam aut aliud vitrum
apacius ad dimidium: His ſuper-
njice florum Altheæ, & ſummitat.
Hyperici ana tantum, ut nihilomi-
nus vacua maneat quarta pars cu-
curbitæ ſeu Vitri: ſuperinfunde
Olei olivarum recentis clariſſimi,
quantum ſufficit, ut flores benè im-
mergantur. Cucurbitæ ſeu Vitri
orificium ſigillo Hermetico, ſeu alio
luto convenienti exactè claude, &
per

per totam æſtatem aut menſes tres radiis ſolaribus expone, ut calor Solis vires ex floribus elicitas in Oleum ritè deponat. Oleum poſtea floribus fortiter expreſſis, tranſcolatum & per ſubſidentiam depuratum reſerva in vaſe benè clauſo: Cujus ſingulis unciis, antequam adhibueris, totidem ſcrupulos Salis Nitri admiſce.

Quidam ex tempore ſic parant: Sumunt Olei infuſionis florum Sambuci, quantum ſufficit, flores modò dictos Altheæ & Hyperici immergunt, eoſque per aliquot horas in Baln. Mariæ ebullire faciunt: oleum poſtea cum forti expreſſione florum colant: In oleum colatum recentes flores immergunt, coquunt, exprimunt & colant, poſtmodúmque Nitrum adjiciunt.

Ejus uſurpandi modus præſcribitur talis. Totum

Totum corpus infecti intra 24. horar. ſpatium Oleo hoc calidè inungendum eſt, linteiſque calidis involutum in lectum calefactum deponendum, ut ſudor eliciatur. Compertum enim eſſe affirmant, quòd hoc unico remedio plures à Veneni labe ac rabie tutiſſimè evaſerint. Vide Tabernæ Montanum in Herbario.

Quæ inunctio uti non improbatur, cum poros cutaneos relaxet, & per eoſdem inquinamentum peſtile ac malignum evocet, atque diſſipet, ac per conſequens non ſolùm in Peſte & febribus peſtilentibus, verùm etiam in aliis malignis & præcipuè Petechialibus utiliter adhibenda: cavendum tamen ſedulò, ne in tam acutiſſimo & periculoſiſſimo affectu interna longa ſerie jam enarrata Bezoartica & Alexiterica negligan-

negligantur, ſed potiùs ſimul adhi-
beantur; ut ita conjunctis viribus
& utroque modo, tùm intrinſecè
tùm extrinſecè malignitas edome-
tur.

Videtur autem ab Ægyptiis di-
manaſſe, de quibus refert Proſper
Alpinus, lib. 4. de Medic. Ægypt.
ca. 15. quòd hoc auxilium in febri-
bus peſtilentibus, in quibus exan-
themata apparere incipiunt, vel e-
xitura ſperant, plurima cum uti-
litate exerceant, ſemel ad mini-
mum in die probè calidam molien-
tes linitionem, à quâ ſtatim febri-
cantes multis pannis cooperiunt, &
ſudorem promovere, venenoſumq;
humorem à viſceribus ad cutem
trahere ſtudent.

Confortantia & Alterantia.

Ne tamen inter ſudandum ægri
viribus;

viribus planè exſolvantur, Naribus ſæpè admovenda eſt ſpongiola Aceto ſambucino Antilœmico madida. Acetum enim hoc vapores iſtos Narcoticos potenter diſcutit & vires recreat. Temporibus item cum linteis applicetur.

Ad calorem & ſitim relevandam inter & poſt ſudationem ſæpè porrigantur Ægro aliquot cochlearia Julapiorum ſupra in Febrium ardentium curatione deſcriptorum.

Aut paretur *Syrupus Acetoſus Sambucinus*, qui ſudores eliciendo, putredini ac peſtilentiæ reſiſtendo, & Cor ac reliqua viſcera corroborando, Syrupo Acetoſo vulgari, ob vim Sambuci Alexitericam & Cordialem excellentior eſt,

℞. *Aq. fontanæ cryſtallinæ* ℔ *iij.*
Sacchari albi ℔ *ij. s.*

Coquantur igne carbonum lucido ad

ad dimidietatis consumtionem probè inter coquendum despumando: Postea adde.

Acet. Sambuc. acerr. ℔ j. s.

Coquantur iterum, donec consistentiam Syrupi nacta fuerint.

Potest eidem pro odore delectabiliori Nodulus ex sindone cum Cinnamomi crasso modo pulverisati unciâ unâ infundi, & aliquoties exprimi.

Syrupus refrigeratus servetur in vase fictili, de quo crebrò aliquot cochlearia vel per se, vel in Aquis destillatis Borraginis, Acetosæ, Rosar. Sambuci, Scabiosæ &c. dissoluta propinentur.

CURATIO.

Bubonum & Anthracum.

Bubonibus & Anthracibus seu Carbunculis pestilentibus applicetur

tur Emplaſtrum, ex farina florum Sambuci & Melle paratum, quod in maturatione horum tumorum egregium eſt.

Vel ℞. Olei ſpecialioris Topici modò præſcripti, Mellis crudi ana unciam ſemis. Salis Ammoniaci drachmam unam, farinæ florum & foliorum Sambuci ana q. ſ. Subigantur omnia exactè, ut fiat inſtar Emplaſtri.

Aliqui feces florum Oleo immaceratorum & expreſſorum, quas *Tymma* vocant, applicare jubent.

Quidam cœpis ſub cineribus coctis & contuſis Rohob Sambuci permiſcent, & tuberculis hujúſmodi inſtar Cataplaſmatis admovent. Amwald in tractatu ſuo informatorio pag. 19.

Inter alia Veſicatoria, quæ contumacioribus tuberculis ſalutariter appli-

applicantur, recenset Clariss. D. Sennertius etiam sequentia.

℞. Seminis sinapis, Cortic. m... dian. Sambuci ana, partes æquales. Contundantur, & cum Aceto m... ceantur in formam Cataplasmatis, quod inducatur linteo albo.

Vel ℞. *Folior. Sambuci*
Borraginis
Semin. Sinapis
Nucl. nucum rancid.
partes æquales.

Terantur & applicentur, loco pri... ùs Theriacâ circumcirca illito.

Apostemati jam aperto & in u... cus degeneranti utile est linimen-tum ex melle & succo foliorum sambuci paratum: quod indies bis cum petiis lineis inditum saniem abstergit, & ulcus mundificat.

Laudatur & Oleum è baccarum arillis expressum, tertiæque ve... quarta...

quartæ parti Olei Therebinthinæ permiſtum ac inſtillatum. Reliqua videantur infra in curatione ulcerum capite peculiari.

CAPUT XX.

De Variolis & Morbillis.

CUm papulæ & maculæ hæ ab humore putrido & maligno, quem Natura irritata ad cutem & partes externas expulit, dependeant: commodum eſt Naturæ, ſi rectè & ſufficienter agit, totum negotium committere. τὰ κρινόμενα γὰρ καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι μήτε ἄλλοισι ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν, jubet ſummus noſter Dictator, 1. Aphoriſm. 20.

Cum verò antequam erumpant, febrilis quædam φλόγωσις corpuſcu-

la iſta tenera infeſtet, quæ an V
riolarum & Morbillorum, an v
pituitæ in Ventriculo & vicinis
cis putreſcentis index ſit, ſæpiſſi
ignoratur : utile eſt infanti
cochleare unum vel alterum Syr
infuſionis florum exhibere. Si er
papulæ ſubfuerint, propellet eas;
verò pituita in Ventriculo remo
ta putruerit, ſuaviter eandem
ſtergendo excludet.

Majorenni detur ab uncia unâ
plures, addito tùm pro virium
bore, primo tamen ſtatim die
antequam Natura ad expulſion
papularum ſe accingit, de pulv
Turionum ſambuci polychreſto ʒ
vel ʒ s. Quo Natura à primæ
gionis ſentinâ exonerata, reliquu
quod maſſæ ſanguineæ permiſtu
eſt, felicius & facilius excutiat.

Poſthæc utilis eſt Aqua floru
Sa

ambuci per cochlearia data: Cor
nim roborat, & humorem illum
utridum ac malignum tùm in in-
antibus, tùm ætate provectioribus
ropellit. Dulcorari poteſt Syrupo
e ſucco baccarum.

Quæ ſi tardius aut parcius pro-
ibunt, adhibendæ ſunt, præter in-
erna, etiam inunctiones, de quarum
nateria & modo capite præcedenti
ctum eſt; & teſtatur Proſper Al-
inus loco ibid. allegato, quòd
Egyptii infantibus ac pueris, vario-
s ſuſpectis, vel malignis exanthe-
natibus, nullum præſtantius, neque
amiliarius habeant auxilium his
pſis inunctionibus. Et rectiùs fa-
erent noſtræ quoque mulierculæ,
i horundem veſtigiis innixæ cætera
nicularum deliramenta relinque-
ent, quibus interdum plus damni
uàm emolumenti ſuis liberis pro-

creant. Videndum tamen,ut paul
poſt totum corpus linteis mollib
ac calidis in loco calefacto, & a
omni aëre externo immuni iteru
abſtergatur.

Ad ſitim ſedandam & ubi cal
febrilis vehementior eſt, vireſq
proſtratæ, uſurpa Julapia, quoru
ſuprà in curatione Febrium conti
nuarum mentio facta eſt.

Quod ſi tamen pulmones ab ii
dem Variolis correptos ex tuſſi con
tinuâ & diuturniori deprehender
ab acidis iſtis abſtine, & horunde
loco, ſyrupo florum vel de ſucc
baccarum Sambuci, Saccharo p
nidio parùm inſpiſſato pro Linct
Aquâ verò florum Sambuci deſti
latâ iiſdem Syrupis dulcoratâ p
Julepo utere.

Pro corroborandis inteſtinis, a
viquè profluvio præcavendo, a
miſce

miſceatur Tragéa granorum Actes.

CAPUT XXI.

De Ventriculi Affectibus.

VEntriculo imbecillo, frigido, & difficili concoctione laboranti, ſuccurrit ſpiritus granorum Actes, qui eundem egregiè roborat, phlegma vitioſum abſumit, & concoctionem adjuvat, ſæpius à cochleari uno ad alterum cum pane ſimilagineo, & tantillo Sacchari uſurpatus.

Spiritus Sambuci Stomachicus.

Sequens in hiſce affectibus adhuc efficacior eſt:

℞. *Radic. Acori noſtratis*
Zingiberis ana ℥ *s.*

Nuc. Muſcat. ſucci plen.
N°. iij.
H. Menthæ criſpæ M. j.
Sem. fœniculi
Aniſi ana ʒ ij.

Inciſis & contuſis ſuperaffunde ſpi-ritus granorum ſeu baccarum Sam-buci q. ſ. ut quatuor digitos tran-verſos ſuperemineat. Relinqua-tur in infuſione per dies 12 vel 14 indies bis commovenda. Poſtea vel tranſcolentur, vel deſtillentur pro ſpiritu ſtomachico. Cujus ut & ſimplicis uſus maximus eſt: non ſolùm enim internè modo præſcri-pto uſurpatur, ſed etiam extrà Ven-triculo frigido ac imbecilli cum pannis lineis commodè ſuperim-ponitur. Concoctionis enim diffi-cultati ſubvenit, vomitus enormes ſiſtit, doloreſque cardialgicos & ſingultum ab intemperie frigida

au

ut humore flatulento ſopit.

Si *Nauſea* aut *Vomitus*, cum compreſſione Cordis & difficili reſpiratione urget, ſuſpicioque eſt, affectus hoſce à pituita viſcidâ, alióve humore putrido ibidem collecto oriri, propinentur unciæ duæ Olei Infuſionis florum Sambuci, vel hujuſdem corticum, cum Aquâ tepidâ, & digitis in fauces intruſis vomitus provocetur. Vel exhibe cochleare parvum aut drachmam unam Olei è baccarum arillis expreſſi, in hauſtu Cereviſiæ calidæ, itidemque vomitum accelera.

Quibus modis quicquid ventriculo moleſtum inerit, facilè excludetur: Quo facto ad Ventriculi corroborationem propinetur ſpiritus Sambuci ſtomachici, vel ſimplici, ſaccharo tamen optimè dulcorati, & medullâ panis ſecalini

imbibiti cochleare mediocre.

Vinum quod è baccis exiccat Cinnamomo &c. parandum ju mus, totum ſtomachicum eſt, Ventriculo imbecilli ac flatulen valdè ſubvenit: De quo ſæpius, Cœnâ præſertim, cyathus unus bibendus.

Nec eſt, quod aliquis hic objic at, Sambucum ſuprà à Dioſcori κακοςόμαχον eſſe pronunciatam, cu ibidem Dioſcorides de crudâ, nu lâve arte præparata loquatur; & quibuſdam præparationum ſp ciebus, uti vim ventriculum ſul vertendi ineſſe facilè ac lubent conceditur; ita in ſpiritus Tragé Vino modò allegato, aliiſve vi eximiam corroborandi reperiri, ip ſa experientia multifariam atteſt tur.

Spiritus ſalis Sambuci ad gutt.v plu

pluréſve in brodio Carnis ſeptimanatim exhibitus ventriculum abſtergit, & appetitum excitat.

In *Ardore* Ventriculi, Germanis *der Sodt*, & Cardialgiâ à calidorum biliosorumque humorum in eundem ex aliis partibus effuſione, vel ibidem generatione & corruptione (vomitione, ſi opus, ex oleo arillar. expreſſo & exhibito præmiſsâ) utilis eſt Syrupus Acetoſus ſambucinus ſupra cap. 19. deſcriptus: cujus uncia una in unciis duabus vel tribus decocti Hordei diſſoluta pro doſi exhibenda eſt.

Vel fiat talis Pulvis:

℞. *Trageæ granor. Actes* ℥ *ij.*
Ocul. ♋ *præparat.* ℈ *j.*
Sacchari roſat. tabulat.
℔ *lat.* ℥ *s.*

Miſce. De quo drachma una in

 cochlea-

cochlearibus duobus ſyrupi mo[illegible]
commendati exhibeatur.

CAPUT XXII.

De Inteſtinorum Affectibus.

I.
COLICA.

COlicæ cauſa quoniam præt[illegible] intemperiem nudam non infr[illegible] quens eſſe ſoleat humor pituitoſ[illegible] vitreus aut flatulentus, ejuſde[illegible] proventus omnimodè præcidatur[illegible]

Inſerviunt huic ſenſim educen[illegible] Vina è baccis & floribus parata.

Item, Aquæ Corticum vel rad[illegible] cum cum tertiâ parte ſyrup. ex ſu[illegible] co Turionum, infuſionis floru[illegible] (qui dolores mirè mitigat) perm[illegible] ſtæ: de quibus ſæpè præſervation[illegible]

erg[illegible]

ergò unciæ quatuor hora una vel alterâ ante cibum bibantur.

Vel ubi Natura fortior, exhibe de pulvere Turionum polychresto drachmam dimidiam vel integram in syrupo florum Vino diluto.

Ad flatus discutiendos, dolorem sedandum, & alvum constipatam exonerandam utile est sequens clysma.

℞. *Folior. Sambuci M ij.*
flor, ejusdem
Chamomel. Rom. ana M j.
Acinor. Sambuci exicc. ℥ ij.

Concisa & contusa decoq. in Vino simplici vel Sambucino, donec colatura redeat ad ℥ viij. Adde
Ol. infusion. florum ℥ iij.
Mellis sambucin. ℥ ij.
Vitell. unius ovi

M. F. Clysma, quod calidè applicandum.

Spi-

Spiritus baccarum magnaru[m] hic est virium, quia non solùm i[n] Ventriculo, sed & ipsis intesti[nis] omnem pituitæ, aut alterius vis[ci]dioris humoris mucaginem dissip[at,] vi suâ insigniter diaphoreticâ, h[u]mores tenues ac serosos, intestin[o]rum membranis illapsos, discut[it,] caloréque suo penetranti viscera i[n] potu, aëre externo inclementi[or] &c. refrigerata, optimè calefac[it,] atque ita immanissimos exindè s[u]bitò subortos dolores tùm assum[p]tus, tùm inunctus consopit.

Novi quendam Ecclesiæ Mi[ni]strum, qui eodem hoc spiritu, ta[m]quam Gorgonis obtruso capite d[o]lorem colicum sibi admodum f[a]miliarem, faciléque excitabilem brevi spatio discutit.

Huic substituatur spiritus floru[m] à phlegmate suo optimè liberatu[s].

Oleu[m]

Oleum florum Sambuci destillatum, bombace imbibitum, & umbilico cum cucurbitâ impositum, paregoricum est suavissimum.

De quo etiam guttæ 4. in cochleari spiritus florum, vel baccarum exhibeantur.

Spiritus salis Sambuci in Aquâ florum, aut jusculo carnis ad gutt. vj. vel viij. exhibetur, qui vi suâ abstersoriâ & dissipatoria à dolore Colica præservat.

Quod si tamen ex effusione humoris biliosi, calidioris & acrioris, aut aliâ causâ calida dolores istos oboriri ex siti, calore intensiori & constitutione Ægri deprehensum fuerit, consulenda sunt ea, quæ in Ardore Ventriculi cap. præcedenti annotata sunt. Quibus adde syrupum florum Sambuci, qui vel per se usurpatus, vel Aquâ florum Sambuci

buci ſtillatitiâ optimâ dilutus;
ebibitus egregiè huc facit.

II.

DE VERMINATIONE

A Vermibus præſervat & libe[rat]
Sal ſambuci cryſtallinum, e[os]
dem nutritione ſuâ ſpoliando, en[e]
cando & abſtergendo exturband[o].
Doſ. à ℈ s. ad ʒ s. vel ℈ ij.

In majorennibus Verminatio[ne]
laborantibus paretur tempore ve[r]
no ex Turionibus, affuſione Aq[uæ]
fervidæ ab amarore nauſeabundo a[li]
liquantiſper liberatis, cum Oleo, Sa[-]
le, & Aceto ferculum, quod lo[co]
Salati ante cœnam commodiſſim[e]
adhibetur. Oleum enim ſpiracu[la]
Vermium occludit, eoſque ſic em[e]
cat, alvum præterea reddit lubr[i]
cam: Sal & Acetum abſtergun[t],
incidunt, & vermes interimun[t].

Turione

Turiones Sambuci alvum ſubducendo & purgando vermes, eorundemque fomitem excludunt. Ad majorem gratiam huic ſalato addi poſſunt folia Acetoſæ tenera, quæ Vermibus quoque reſiſtunt.

Extra hoc tempus Vernum commendabilis eſt pulvis Turionum ſimplex, mane per aliquot dies ſcrupuli pondere in juſculo abſumtus.

Delicatioribus præbeatur ſæpiùs cochleare unum ſyrupi de ſucco Turionum, cui ſcrupuli dimidium cornu cervi præparati permiſcere licet.

Nonnulli ſuccum ex recentibus foliis exprimunt, quem melle ſimplici vel roſato parum dulcoratum aliquoties ante reliquos cibos exhibent, & hoc modo vermes enecant, ac ejiciunt.

Ubi Ventriculus ac inteſtina copio-

piosiore & tenaciori pituitæ putr
laginosæ mucilagine oblita ac
ferta fuerint, exhibe bis vel ter pu
verem Turionum polychrestum
horundem syrupo.

III.

DE LEIENTERIA E COELIACA.

IN fluxibus alvi quamvis Samb
cus primâ fronte inutilis vide
tur: in Lienteria tamen & cœlia
affectione, ubi vel cibus & pot
seu alimenta eâ, quâ assumta sun
formâ, vel semicocta, aut paru
alterata chylosáve, ob retentione
Ventriculi & intestinorum ab i
temperie ut plurimum frigida
humidâ, debilitatam, citius, qua
par est, dejicitur, Spiritus gran
rum Actes tùm simplex, tùm st
machicus, magnâ cum utilita
usurpari potest. Sæpi

Sæpius ergò cum pane ſecalino
ut ſimilagineo ad cochleare unum
el alterum propinetur:

Vel linteis duplicatis abſorptus
xterius Ventriculo ac abdomini
pplicetur.

Utilis præterea hìc eſt Tragéa
ranorum Actes, & exindè paratus
ulvis Cordialis ſupra cap. 17. de-
criptus. De quo bis in die mane
idelicet & veſperi ante cibum
rachma una in cochlearibus tribus
el quatuor Vini generoſioris exhi-
eatur.

Pro potu inter cibandum inter-
um adhiberi poteſt, Vinum è bac-
is Sambuci exiccatis, Cinnamo-
no & Caryophyllis paratum.

IV.

DE DYSENTERIA.

IN Dyſenteria, quæ eſt cruenta
alvi dejectio cum dolore & ven-
tris

tris torſione ex ſignaturâ comme-
dat Oſwaldus Crollius *baccas Sam-
buci*, ex quibus *Chymici* & inprim
Joſephus Quercetanus Medic
Regis Galliarum Pharmaco
Dogmat. reſtitutæ lib. 1. cap. 2.
de Trageis pag. 152. talem Trag-
am à D. Volſio Profeſſore Marpu-
genſi acceptam, & in hoc quoq;
tractatulo aliquoties citatam &
commendatam deſcribit:

Exprimatur ſuccus baccaru
Sambuci maturarum tempore vi-
delicet Autumni. Ex quo ſucco
farinâ ſecalina conficiatur paſt
ſive maſſa optimè elaborata, ex qu
formentur exigui panes, qui in fu
no ad bis cocti duritiem coquun-
tur, adeò ut in pulverem tenuiſſi-
mum redigi queant; qui pulvis cum
eodem ſucco iterum imbibatur,
omniáque denuo reducantur in pa-
ſtam

tam, quæ in bis cocti formam coquatur, idque tertio repetatur.

Poſtremo omnibus probè coctis & exiccatis fiat pulvis ſubtiliſſimus, qui longo tempore aſſervabitur, ſpecificum eſt arcanum adverſus Dyſenteriam. De eo accipe drachmam unum & Nucis Muſcatæ tantundem, mixtis ſimul omnibus cum Ovo parum cocto incorporentur, & ſic omnia ſorbenda exhibeantur. Nominatur Tragéa granorum Actes. Huc uſque Quercetanus.

Alii ſic parandam exiſtimant.

℞. Panem ſecalinum è furno calentem, cumque ſucco baccarum ſambuci imbue, iterúmque in furno ſicca, ſiccatum rurſus ſucco ſambuci imbue, idque quater vel quinquies repete; tandem panis hic in pulverem redigatur, cujus vel ſolius drachma una, vel dimidia cum

Nucis

Nucis Moſchatæ æquali parte ex-hibeatur. Vide Clariſs. Dn. Senne-tum cap. 10. tract. de Dyſenteriâ.

Videndum tamen ne alvus nimi-citò cohibeatur, ſed potius locus re-linquatur aliquis humorum acrium ejectioni, ſeu affluvio, ne idem for-ſan contingat, quod de ſeptem-puellâ diarrhœâ laboranti narra-Fernelius lib. 6. Pathol. cap. 9.

Ad humorum ergò acrium ab-ſterſionem, & doloris, qui etiam ve-hementer affligere ſolet mitigatio-nem propinetur per biduum vel tri-duum, antequam fluxum ſedantia abhibeantur, manè uncia una, vel ſeſquiuncia ſyrupi è floribus Sam-buci ternâ infuſione parati in deco-cti hordei vel Aquæ florum ſambu-ci unciis tribus. Commodè quo-que huic addi poteſt Mechoacannæ albæ ſubtiliſſimæ pulveriſatæ ſcru-pulu-

pulus unus vel drachmæ dimidium. Leniter enim evacuat, & alvum moderatè adſtringit.

Poſtquam itaque triduum aut circiter elapſum eſt, atque evacuationes & abſterſiones neceſſariæ ſunt progreſſæ, dolórque maximâ ex parte ſedatus, tutiùs tùm ad Trageam ſuperius adductam accedere licet: Non enim ſolùm alvum cohibet, ſed ſimul motum contrarium humoribus acribus ac ſalſuginoſis conciliat, eoſdem ſenſim ad ſudorem diſponendo; ſi ſequenti præſertim mixtionis modo bis in die mane nimirum & veſperi, jejuno tamen Ventriculo, exhibeatur.

℞. *Trageæ granor. Actes ℥ j.*
Spiritus florum Sambuc. gutt. xxxv.

In Mortario marmoreo ſubactis ſenſim affunde

Aq.

Aq. Radic. Tormentill. ℥ j. *s*[illegible]
Syrup. de ſucc. Plantag. ℥ *s.*

Miſce & calidiuſculè exhibe: Ma[illegible]
lignitatem per ſudorem aut halitu[illegible]
ſam tranſvaporationem diſcutiem[illegible]
alvúmque, fluxu humorum ſedat[illegible]
cohibebunt.

Eadem quoque in *Diarrhoea* u[illegible]
ſurpare licet.

V.
DE ALVI CONSTIPATIONE.

SAmbuci folia ad alvum in ſecun[illegible]
da valetudine conſtitutis ſubdu[illegible]
cendam commendat P. Ægineta li[illegible]
1. Medic. cap. 43. Id quod & do[illegible]
cuit Hippocrates lib. 2. d. Diætâ..

Idem præſtant Aquæ foliorum
& Corticum deſtillatæ, quibus pro
ſapore delectabiliori tertia pars Sy-
rupi & infuſionis florum, de ſucco
bacca-

accarum vel Turionum admi-
enda.

Iidem Syrupi etiam per ſe ſumti
lvum lubricant. Vel bibatur in
rimâ mensâ, vel manè, ſumto ju-
culo, hauſtus de Vino baccarum.

Laudatur & pulvis Turionum
mplex in brodio prunorum, vel
vo ſorbili ad drachmam unam ab-
orptus.

Vel utere hujuſdem loco Conſer-
â Turionum.

Rob Sambuci recentius buccellæ
anis largius illitum & antequam
eliqua edulia aſſumantur, degluti-
um muliercularum noſtratium do-
meſticum eſt remedium: quo etiam
n infantibus & puerulis ſuis, quo-
um alvina colluvies ſolito diutiùs
ubſiſtit, uti conſueverunt. Succus
nim hic infantibus ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ
gratiſſimus & amiciſſimus eſt, ſi
præ-

præſertim inter inſpiſſandum eid[illegible] aliquid Sacchari fuerit admiſtu[illegible] prout ſupra ſection. 2. capiti 1. m[illegible]nuimus.

VI.
DE HÆMORRHOIDIBUS.

AD dolores Hæmorrhoidum [illegible]dandos nihil præſtantius e[illegible] quam inſeſſus aut fotus, factus [illegible] floribus Sambuci & Verbaſci in A[illegible]quâ ſimplici vel Lacte. Brevi eni[illegible] temporis ſpatio dolorem intenſiſſi[illegible]mum conſopit atque placat. H[illegible] experimento feliciter uſus ſum pri[illegible]mum in Molitore pagano, poſt[illegible] etiam in Cive quodam Pannific[illegible] qui ambo levamen hoc tam reper[illegible]tinum cum ſtupore admirati ſunt, [illegible] propterea utroſque flores copioſè [illegible] promtu habent, quo eorundem i[illegible]

delin[illegible]

delinitione ſuaviſſimâ, quotieſcunque neceſſitas poſtulaverit, ſimiliter frui queant. Anodynus etiam eſt illitus ex oleo infuſionis florum tertiæ parti unguenti populeon. permiſto.

Vel ℞. *Olei infuſion. florum Sambuci ℥ s.*

acinorum Sambuci

Vitell. ovor. ana ʒ ij.

Ceræ albæ q. ſ. F. l. a. Ungv.

Ad Hæmorrhoidas in una nocte ſiccendas ſingulare Cataplaſma ex foliis Sambuci, in Aquâ ad pultis conſiſtentiam decoctis, & olei olivarum pauxillo permiſtis, concinnandum, pannoque rubro ſcarlatino inductum hæmorrhoidibus calidiuſculè applicandum, ſæpiúſque per totam noctem, Ægro in faciem procumbente, renovandum præſcribit & commendat in ſe-

cretis suis Alexius Pedemontanu

Qua ratione aliàs earundem pro fluvium nimium & nocivum coh bendum sit, consulantur ea, quæ su pra in curatione hæmorrhagiæ Na rium cap. 10. proposita sunt, & in ferius in mensium & vulnerum san guine sistendo adducentur.

Nota. Ad *procidentiam ani* sic longanonis inter alia etiam Corti cem exteriorem Sambuci comme dat Raym. Mindererus c. 7. M.M

CAPUT XXIII.

De Obstructione Mesenterii, Hepatis & Lienis.

Unde & Icterus uterque ac Scorbutu

AD obstructiones hasce impec endas expediendásve bibat ma

manè ac in principio menſæ pocu-
lum Vini baccarum Sambuci ple-
num per aliquot dies ſeptimanáſve.
Craſſam enim Tartaream, ac ſero-
ſam bilioſamque materiam incidit,
abſtergit, ſenſimque evacuat, cor-
porique vividiorem, ſolutis obſtru-
ctionibus & ſanguine depurato co-
lorem conciliat: ſi præſertim ſemel
saltem in ſeptimanâ vel etiam rari-
us, pulveris Turionum polychreſti
drachma dimidia vel integra, pro
virium robore ſimul admiſceatur.

In hiſce affectibus ſequens quoque
commendatur Pulvis:

℞. *Turion. in umbrâ ſiccator.* ʒ ij.
Salis ſambuc. cryſtalliſat. ℈ viij.
Abſinthii ℈ iiij.

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus:
e quo à ℈ j. ad ʒ ſ. per plures dies
manè in juſculo carnis exhibe, jeju-
nio ad quatuor horas & exercitio
mediocri imperatis. I 2 Cui

Cui forma pulveris diſplicet, po-
terit inde ſibi formare pilulas cum
Rohob ſeu ſucco baccarum, juſcu-
lumque ſuperbibere.

Lixivium ex cineribus Sambu-
ci cum Vino aut Aquâ florum par-
tum obſtructiones potenter reſera-
& bilioſæ Tartareitatis craſſitie-
attenuat & abſtergit: Unde &
Ictero medicamentum proficuum
de quo Ictericis manè & veſperi al-
quot cochlearia, Saccharo vel Me-
le ſimplici aut ſambucino dulco-
to præbeantur.

Mitius & gratius Oxymel Sam-
bucinum ad ſeſquiunciam in Aqu-
florum vel Corticum diſſolutum.

Vel ubi calor intenſior, febriſqu-
conjuncta, adhuc convenientior v-
detur Syrupus Acetoſus Sambuc-
nus eadem quantitate diſſolutus,
pro unâ doſi exhibitus.

Qu

Quidam Olei florum deſcriptionis ſecundæ gutt. 4. vel 6. in cochleari ſpiritus vel Aquæ florum optimæ commendant. Exhibeatur bis in hebdomade, exercitiúmque moderatum injungatur.

Ipſe quoque ſpiritus florum per ſe, Rob item & ejuſdem Extractum Medicamenta ſunt hìc ſalutaria.

Dum enim, ſentinâ alvi pulvere Turionum polychreſto exonerata, ſudorem ciunt, vi ſuâ penetranti obſtructiones & infarctus Meſenterii, Epatis, ſpenis ac Veſiculæ felleæ reſerant, humorúmque craſſitiem incidunt, & præparant.

Medianus flavus Cortex ex ſignaturâ ad Icterum commendatur à Crollio, tractat. de ſignatur. Intern. Rerum.

Macerandus ergo in Vino cum unâ vel altera Spongiolâ Sambuci;

de cujus colaturâ mane & vesp[illegible] bonus haustus bibatur.

Vel usurpanda ejusdem Aqua st[illegible] latitia, vel syrupus ex succo pa[illegible] tus. Præterea enim, quod alvu[illegible] solvunt & humores noxios evac[illegible] ant, habent simul insignem vim d[illegible] obstruendi, quæcunque ex fla[illegible] cortice concinnantur & parant[illegible] medicamenta.

Utilis etiam hìc est spiritus sa[illegible] Sambuc. ad guttulas 6. in juscu[illegible] carnis.

In *Scorbuticis*, incidentibus [illegible] purgantibus, sæpiùs allegatis, pr[illegible] missis magna præsidii & auxilii sp[illegible] est in Seri per sudorem evocation[illegible] Unde & Platerus valde convenie[illegible] esse dicit Rob de baccis Sambu[illegible] Ebuli &c. addendo ad uncias tr[illegible] horum, syrupi de papavere uncia[illegible] unam, Dosis ʒ ij. Convenientio[illegible]

& penetrantiora adhuc ſunt horundem Extracta, de quibus a ℈ j. ad ʒ j. in cochleari uno ſpiritus florum Sambuci, Cardui benedicti aut cochleariæ exhibeatur, ſudórque tùm in lecto, tùm in balneo ſicco provocetur.

TOPICA.

Exterius Hypochondria, ubi viſcera illa ſedem ſuam habent, crebrò illinantur Oleo florum infuſorum, quod Icteritiæ mederi, & maximè Hepati infirmo oppilato ſuccurrere, Diſpenſatoria trita & conſueta prædicant.

In Splene indurato & ſcirrhoſa coquantur folia Sambuci in Oleo & Vino, ut conſiſtentiam pultis acquirant: cui per ſetaceum vel criborum trajectæ, admiſce farinæ florum Sambuci & Chamomeli q. ſ.

posteáque instar Cataplasmatis ti-
pidè applica.

Laudatur & tale Ceratum, in
molliendis & digerendis tumori-
bus scyrrhosis non inutile.

Primum coquantur bis vel ter fo-
lia Sambuci recentia in Oleo infu-
sionis florum Sambuci, foliis tamen
semper, antequam nova injiciantur,
priùs optimè expressis.

Dein ℞. *Olei ita præparati ℥ iiij*
Pulv. folior. Sambuci
tener. ℥ j. s.
Therebinthinæ
Ceræ citrinæ q. s.

F. l. a. Ceratum: de quo quantum
sufficit Alutæ, instar linguæ bubulæ
oblongæ inductum, & sindone ob-
ductum indies loco affecto appli-
cetur.

Scorbuticos, præter alia sympto-
mata, quæ hìc recensere neque lo-
cu-

cus, neque tempus eſt, exercet ſæpenumerò dolor in plantis pedum & extremitatibus digitorum obortus, qui teſte Clariſs. Dn. Sennerto cap. 8. d. Scorbuto, hoc medicamento tollendus:

℞. *Flor. Sambuci Manip. ij.*

Coq. in Vino additis ſaponis drachmis duabus, quo pannus imbuatur & loco dolenti applicetur.

CAPUT XXIV.

De Hydrope & Ejus Speciebus.

I.
DE ASCITE.

CUm hic dependeat à Sero in cavitatem abdominis illapſo, Sambuci verò vis ſit & facultas exccans & alvo detrahens Aquam,

Dioſcoridis & omnium Medico-rum ſuffragio: nemo eſt, qui non videat, Sambucum etiam hoc in loco magnarum eſſe virium.

PURGANTIA.

Primum ergò Cortices illos me-dianos, addita unâ vel alterâ ſpon-giolâ, decoque in Vino, vaſe bene clauſo: decoctum ſufficienti quan-titate Sacchari edulcora, & per a-liquot dies Aſcitico propina mane & veſperi.

Aliqui hoc laudant:

℞. Corticum medianorum ſubti-liter deraſorum q. pl. coq. in ſ.q. la-ctis caprini, ut per cribrum traject. Syrupi vel Mellis liquidi conſiſten-tiam acquirant. De quibus uncia una vel ſuſquiuncia in Vino albo per aliquot dies propinetur.

Aqua ex Corticibus mediani-

ſuc.

ſucculentis tempore Verno deſtilla-ta, & cum tertia parte Syrup. d. ſucco Turionum, radicúmve per-miſta exhibetur ad uncias tres vel quatuor.

Aquam Purgantem ex *Baccis* præ-ſcripſit Joſephus Quercetanus lib. 1. Pharmacop. Dogmat. reſtit. cap. 7. de Aquis ſeq. modo.

Accipiantur ſemina ſive baccæ Sambuci & Ebuli, ſuo perfecto ma-turitatis tempore, quod erit circiter Autumni initium: ex his prælo ex-primatur Vinum ſive ſuccus con-quaſſatis ſimul vinaceis, ſive nucleis ſuis internis, mixtis ſimul omnibus fiat deſtillatio.

Hæc aqua ſuper feces ſuas coho-bata inſignem purgandi efficaciam habet, præpipuéque ſeroſos humo-res tradit; Aromatiſetur Cinna-momo, Coriandro cum ſucco Cy-

donio-

doniorum præparato & ſimilibus, Hydropicis dari poteſt ab uncia una ad duas, Hæc Quercetanus.

E. G. ℞. *Aquæ præſcriptæ* ℥ *ij.*
Syrup. d. ſucc. baccar.
Turion. ana. ℥ *ſ. M.*

Ex hac magis compoſitam Aquam videre licebit apud eundem Quercetanum loc. citat.

De Vinis ſæpenumero hactenus facta eſt mentio, quorum formulæ etiam ſupra ſectione ſecunda, allatæ ſunt : quia tamen ab iiſdem paulò diverſus conficiendi modus in Quercetan. Pharmacopœjâ lib. 1. cap. 9. p. 19. habetur, eum ipſum hic quoque inſerere lubet, qui talis eſt :

Semina exprimenda & ſuccus exrrahendus, qui cum duplâ Muſti optimi Vini albi quantitate permiſtus in doliolum magnitudinis convenientis ad abſolutam digeſtio-

nem

nem & fermentationem infundatur.

Notandum verò hic melius eſſe, ſi id obdurato dolio peragatur, id eſt, ſi dolium non penitus repleatur, (ſed ad minimum tertiâ parte vacuum relinquatur) & obturetur benè, ne quid exhalet. Quo facto & fermentatione per menſem integrum abſolutâ, dolium aperiendum eſt, Vinoque (in alio vaſe eodem modo cum ſucco baccarum defervefacto) ad ſummum uſque adimplendum eſt.

Hoc Vinum purgat ſeroſos humores, & conducit Hydropicis. Verba ſunt Quercetani. Doſis Cyathus major minórve, prout plus minúſve vires Aſſumentis, Medicamenti operationi reluctabuntur.

Radicem in Vino decoctam, & in cibis Hydropicis datam eos adjuvare ſcripſit Dioſcorides.

Cujus

Cujus ſuccum expreſſum inſtar Antimonii ſurſum deorſúmque ſe: rum exturbare teſtatur Raymundus Mindererus Medic. Militar. c.6.ideò, ut cautè illum propinemus, & tantum duntaxat, quantum dimidium putamen Nucis juglandis complecti poterit, ſeriò ac fideliter omnes admonet.

Commendat quoque ibidem Salatum ex Turionibus, Oleo, Sale & Aceto paratum, de quo in Inteſtinor. affectibus cap.22.actum eſt.

Folia Sambuci in decoctis Hydragogis adjecta egregiè Aquam ducere, & præcipuè in Hydrope, longa experientiâ ſe didiciſſe refert P.Foreſtus in ſcholio Obſervat.44. lib.19. Obſervat. Medicinal.

Idem Foreſtus in ſchol. obſervat. 37. lib. citat. etiam habet: Aliud uſitatum (ad Aſciten) remedium

eſt,

est, cortex radicis Sambuci in ſuccum redactus. Doſis eſt ad uncias duas & tantundem Vini odorati, Benedictus Veronenſis radic. Sambuci corticis ſuccum ad quaternas drachmas quoſdam dediſſe ſcribit. Alii radicis Ebuli ſuccum acetabuli menſurâ quotidiè novem diebus dederunt, decreſcente Lunâ; atque ita ſanarunt Hydropicos: vel unciam unam; egregiè enim Aquam ducit. Uti etiam facit cortex medicus Sambuci. Nicolus una vice dat uncias ſex decocti cortic. median. Sambuci: idem dat ex ſucco Sambuci à ℥ ij. ad ℥ iiij. & ſucci Ebuli à ℥ iiij. ad unciam unam. Quidam ſuccum ex Sambuci cortice medio cum oxymelite propinarunt. Hæc Foreſtus: quæ ideò à me prolata ſunt, ut Lector benevolus exinde videat, magnam etiam apud Vete-

res fuiſſe Doſeos in Sambuco varietatem; in quâ tamen cautelam Mindereri probè obſervat, nec facile, priuſquam uniuſcujuſque vires exactius cognoverit, doſin illi[illegible] præſcriptam tranſcendat.

Philippus Mullerus in Myſteriis ſuis Medicis curam Hydropis perfectam dicit eſſe hanc:

℞. Succi recentis radic. Ireos, & ex corticibus viridibus mediani Sambuci, ana cochlear. j. Propina in vulgari Aqua (vel Oxymelite dilutiori) ſemper poſt tres vel quatuor dies: hoc pellit alvum fortiter. Ad relictos tumores circa genu, pedes &c. impone folia Cardui majoris, id eſt, Bardanæ; extrahent Aquam.

Commendabilis quoque eſt in hoc affectu pulvis Turionum Polychreſtus ad drachmam unam in Vi-

no albo, Oxymelite Sambucino vel ſyrupo de ſucco baccarum dulcorato exhibitus.

Vel: ℞. *Pulv.Turion.polychreſt.* ℈ *iiij.*
Gumm. d. Peru
Galangæ ana ℈ *s.*

Fiat Pulvis exactè miſtus, duabus vicibus in corpore nondum imbecilli exhibendus in quocunque libuerit liquore. Serum enim per alvum potenter evacuabit. Si forma pulveris diſplicet ſubigatur cum ſyrupo vel Melle ſambucino in formam pilularem; aut cum Rob ſambuci in formam Boli.

HIDROTICA SEU SUDORIFERA.

Quod ſi hiſce Catharticis corpus maximâ ex parte evacuatum ſit, ad ſudorifera & diuretica tutò tùm progredi

progredi licebit. Secus enim si fecerimus, omnis colluvies ad renes & ureteres devolvetur, ubi postea propter aggregationem gravissima symptomata solent oboriri.

Sudorifera sunt Rob Sambuci, ejusdemque Extractum: quorum priùs Hydropicos adjuvare, sudoresque potenter elicere ab Augustanis commendatum, & ad drachmas duas, posterius verò ad totidem scrupulos in Aquâ & Aceto florum dissolutum pro dosi exhibetur.

Vel, ubi Hepar frigidius, & urinæ minus rubent, exhibe de spiritu baccarum, vel de Tincturâ Sambuci cochleare unum vel alterum, Aquâ florum diluendum, Syrupoque de succo baccarum dulcorandum, & sudorem in lecto aut balneo sicco provoca.

Spiritus florum mitior est, sudores tamen

tamen egregiè prolicit, & Aquam hydropicorum validè exiccat, si præsertim optimè fuerit rectificatus.

DIURETICA ET URInam cientia.

Diuretica præter jam recensita sunt & sequentia.

Sal sambuci cum tertiâ vel æquali parte Salis Absinthii. Dosis à ℈ j. ad ʒ s.

Spiritus è sale destillatus urinam vehementer cit, serúmque exiccat. Propinetur in jusculo carnis ad guttas sex per aliquot dies.

Ubi viscera calidiora, urinæque rubicundiores (quod ut plurimum lethale in Hydropicis signum est) horundem loco syrupus Acetosus sambucinus ad uncias tres vel quatuor in Aquæ florum & foliorum ana

ana ℔ s. diſſolvatur, de quo bis in die manè videlicet ac veſperi ante cibum unciæ quatuor vel quinque ebibendæ.

Εὐπόριστον Pauperum ſil Lixivium dilutius ex cineribus Sambucinis & Juniperinis cum Vini albi parte una & Aquæ ſimplicis vel florum ſambuci deſtillatæ partibus tribus paratum. De quo vacuo ventriculo bis in die Cyathus unus exhibeatur, exercitiumque moderatum ad dimidium horæ, vel diutiùs, ſi fieri poteſt, imperetur. Addatur Sacchari & Cinnamomi q. ſ. pro ſapore & odore delectabiliori.

Experimentum Æmyliæ, Comitiſſæ Iſenburgicæ.

Et cum hic Diureticorum mentio fiat, experimentum hujus Comitiſſæ, quo ſolo plures, pauperes inprimis;

mis, ab Hydrope integrè reſtituiſſe prædicatur, non prætereundum videtur. In quo licet plurimum pulveri ipſi tribuatur, potiores tamen felicioris hujus medicationis partes ipſi Vino, ex floribus & ſpongiis Sambuci parato, & quo intra tempus curationis Hydropici utantur, aſcriberem.

Qua de cauſa totum quoque curationis modum, prout eum omnibus veræ Medicinæ cultoribus fideliter communicavit Cl.D.Finck. in Enchirid.Hermet.Dogmat.c.26. huic quoque tractatui inſerere placuit.

℞. *Glandium vetuſtar.excorticatar.*
Radic. Petroſelin. inveteratar.
Oculor. ♋ *alb. ana* ℈ *ij. s.*
Sacchari Thomæi
Cinnamomi ana ℥ *j.*

Omnia tenuiſſimè pulveriſentur & cribrentur. Priuſ-

Priuſquam Æger totus decumbat, primum tres buccellas panis ſiliginei ſuperfundat Vino forti ac valido (forſan non abs re foret, ſi iſti Vino prius aliquid florum Sambuci immaceraretur) mox inſpergat eas ſcrupulis quatuor bene ponderatis pulveris præſcripti, & ſimul veſperi ante ſomnum comedat & ſuperdormiat.

Secundò, die proximo ſequenti ſummo mane itidem totidem de pulvere buccellis inſperſo, utatur; & jejunet ad horam unam vel alteram.

Tertiò, eodem die veſperi, eadem quantitate edat de Pane & Pulvere in Vino irrigatis, ſeque cubitum nihil ſuperbibendo, vel edendo conferat.

Interim diæta talis quoque inſtituatur. Abſtineat Æger à piſcibus, carni-

arnibus porcinis, oleribus, caſeo, quis frigidis, potu tenui & ſuperluo. Utatur autem Vino hoc modo parato, cui ego, ut antea dixi in hac curatione maximas tribuo.

℞. *Umbell. florum Sambuc. integr. exiccat. No. iij.*
Spongiol. Sambuc. arefact. in Aëre ſicco N°. ij.
Vini albi ℔ iiij. vel ad Pueri mediocris uſum ℔ ij.

Stent in infuſione per noctem, indéque bibat Æger ad placitum, & abſtineat à reliquo potu, donec tumor ſeſe occultet & recedat.

Nota: Si Æger ab hac cura non evidentem alterationem ſenſerit, & tumoris amiſſionem, poteſt reiterare curam elapſis 14. diebus, & non dubium eſt, quin divino auxilio, ſit priſtinam valetudinem recuperaturus.

To-

TOPICA.

Exterius Tumentibus partibu applicetur Cataplaſma ex ſucco corticum viridium & foliorum ſam buci cum ſtercore caprino incor poratum; quod inſignem vim ha bet digerendi & exiccandi ſalſugi noſam iſtam aquoſitatem.

Aut inunge partes tumidas Ole ex corticibus & foliis ſupra ſecun do loco præſcripto: cui ad conſi ſtentiam idem ſtercus admiſceatur

Inſigniter quoque diſcutit & ex iccat Tinctura ex Rohob ſeu ſucc baccarum extracta, ſi Ventri & cru ribus ſæpiùs affricatur.

Vel ℞. Folior. & Corticum q. ſ Decoq. in Lixivio vulgari, quo ab domen & reliquæ partes intume ſcentes bis in die foveantur.

Cujus decocti vapor ſi cruribus

Hydro

Hydropicis excipitur, ſerum exindè evocat, & per ſudorem diſcutit: Effundatur ſuper lateres ignitos in vaſe clauſo, ut ad pedes evaporet.

Alii pedes & crura ſaltem balneare jubent decocto foliorum, cui Manipulus unus vel alter Salis communis additus fuerit.

Nota: Medulla ligni Sambucini preſſurâ etiam relinquit cavum veſtigium, quale videmus in pedibus Hydropicorum, ideò ſuccus arboris conducit, ſicut etiam fungorum Sambucinorum deſtillata Aqua. Verba ſunt Oſwaldi Crollii in Tractat. de ſignaturis intern. rerum. Huc etiam transfer exemplum Ruſtici Hydropici & calculoſi uſu medullæ ſambucinæ liberati ex capite ſeq. de calculo.

II.
De Anaſarca ſeu Leucophleg-matia.

In Anaſarcâ ſeu Leucophlegma-tiâ levioribus ſaltem purgationibus præmiſſis, ad incidentia & ſudorifica ſtatim deveniendum eſt, quo modò ex baccarum ſucco, Extra-cto, Spiritu & aliis propoſuimus.

His enim Serum, quod in carne muſculoſâ reſidet, & membra in-flat, diſcutitur, membris refrigera-tis & debilitatis calor exoptatus re-ſtituitur, viſceraque nutritioni dica-ta aperiuntur & roborantur.

Pro potu Ordinario Vinum è flo-ribus Sambuci egregiè huc facit, quo etiam ſolo aliquot poſt diutur-niores febres, alióſve morbos chro-nicos leucophlegmaticos facto brevi detumuiſſe conſtat. Quacin-

c

rò experimentum illud Æmiliæ Comitiſſæ hic forſan convenientius eſſet, quam in Hydrope Aſcite.

Nota: Erat Hainæ quidam Civis, affinis meus, qui cùm crebris febrium recidivis per biennium ferè vexaretur, & exindè demum in univerſo corpore Leucophlegmaticus evaderet, meo ſuaſu, ſequentibus optimè reſtitutus eſt. Primum juſſi, ut ad venarum meſeraicarum obstructionem liberandam, & ſeroſam pituitoſamque primæ regionis colluviem ſenſim excludendam uteretur Vino, cui florum & Corticum Sambuci, ſummitatúmque Abſinthii æquales partes immaceratæ fuiſſent: de quo indies manè ſumto priùs juſculo, bonum hauſtum biberet. Ex quo cum alvus aliquoties ſingulis diebus reſpondiſſet, mandavi, ut interdum cochleare medio-

cre Rohob Sambuci cum Co
Cervino permiſti deglutiret, ſup
bibitoq; Aceto Sambuci, Vino
luto, ſudorem in lecto aut bal
expectaret. Quo etiam bis vel
facto, ſenſim univerſum ejus cor
detumuit, colorq; faciei vividi
appetitúſq; laudabilis rediere, n
hactenus ullæ unquam febrium
cidivæ apparuerunt.

Dum hæc conſcribebam, nar
batur mihi à Matronâ quadam h
neſta ſequens hiſtoria, quam e
am ad majorem ſambuci comme
dationem hic inſerendam judica
Fuerat illi Mater, matrona ann
rum ferè ſexaginta, quæ cum
diarrhæâ diuturniori per aliquot
ptimanas laboraſſet, in Hydrop
demum incidit, ventérq; ipſi uti
pedes mirum in modum intumu
runt, non ſine inſigni virium pr
ſtration

ratione. Filiæ obſtupefactæ, & e ſalute Matris anxiæ, Medicum gnatum, tùm temporis hac in regione non incelebrem, accedunt, iuſdemq; conſilium & auxilium bnixè ambiunt. Qui licet primum b vires tùm ſenio, tùm morbo proratas & deperditas ab omni curaone deterreretur, quia tamen veementius urgebatur, quædam conortantia duntaxat ordinavit, & primis conſervam florum Samuci commendavit, de qua indies nanè unciam dimidiam exhibeent. Quâ etiam ſolâ, omiſſis reliuis omnibus divinâ coadjuvante ratiâ, priſtinam ſanitatem brevi ecuperavit, ſupervixitq; uſq; ad anum octuageſimum non ſine mago omnium, qui viderunt & audierunt ſtupore & admiratione.

III.

DE TYMPANITE.

Quum hic Venter à flatibus c[illegible] ſtentus inſtar Tympani, ſi pulſatu[illegible] reſonet; flatuum verò proventu[illegible] nulla alia de cauſa oriatur, quam [illegible] Ventriculo debili & imbecilli[illegible] Ventriculus corroborandus eri[illegible] flatuſq; diſcutiendi.

Quibus indicationibus, purga[illegible] tione aliquâ, ſi opus, præmiſſa, pe[illegible] belle ſatisfacit ſpiritus granoru[illegible] Actes, tùm ſimplex tùm ſtoma[illegible] chicus, ſupra ad Ventriculum im[illegible] becillum plurimum commenda[illegible] tus: cum non ſolùm eundem ro[illegible] boret, ſed etiam facultate ſuâ pene[illegible] tranti ſublitiſſimos coporis meatu[illegible] penetrare, flatuſq; diſcutere poſſi[illegible] ſi præſertim doſis ſeminum carmi[illegible] nantium Aniſi & fœniculi augeatu[illegible]

Exhibeatur indies cochleare unum, eodemq; Abdomen inungatur

Vel:

℞. *Spiritus granor. Actes stomachic.* ℥ ij.
flor. sambuci ℥ j. s.
Sacchari candi albiss. pulveris. ℥ j.

Misce. Dosis cochleare unum vel alterum.

Benedictus Victorius Faventinus in Empirica c. 25. hæc habet: Mirabilem vidi effectum in curatione Hydropisis ventosæ, si quolibet mane in diluculo detur patienti infra scriptus potus.

℞. *Aq. radic. Ebuli* ℥ ij.
Sambuci ℥ iiij.

Misce. Continuabis sic potum istum per triginta dies continuos, & mirabile juvamentum reperies.

Ego tamen semper aliquid de Sy-

rup. baccarum florúmve adderen cum Aquæ hæ destillatione elicit per se exhibitæ Ventriculum jeju num valdè perturbent.

CAPUT XXV.

DE CALCULO.

LAxativum in calculo Vesicæ fi ex Sambuci locustis, quod in hoc & aliis morbis percommodum est, quia Naturam tantum juvat, u Naturales sedes proferat. Verba sunt Petræi Nosolog. Harmon Dissertat. 40. thes.56. pag.333.

Vina ex baccis & floribus, magno hic sunt adjumento. Primum enim Ventriculum & Intestina ab humore isto seroso ac mucido exonerant, quo chylus purior, minusq; Tartareis istis tincturis imprægnatus ad Epar deferatur, unde & serum

rum non tam impurum & ſabuloſum ad vias urinarias demandabitur. Deinde ſi quid & hic peccatum fuerit, Tataruſq; nihilominus in vaſis illis ſe coacervaverit, Vina hæc eundem abſtergebunt, & cum urinâ eo corpore eliminabunt. Uſurpentur tempore matutino, ubi Ventriculus cibis vacuus eſt: Doſis cyathus unus, ſumto tamen prius juſculo.

Clyſter Anodynus & relaxans ſeu emolliens, confici poteſt ex decoct. florum & foliorum Sambuci, cujus decocti colati ℥ viij. Olei infuſionis florum Sambuci unciæ tres vel quatuor addantur. Quod ſi magis abſtergere volumus, idem decoctum prius per cineres foliorum Sambuci parumper transfundendum, eidemq; poſtea præter Oleum Mel ſambucinum ad uncias duas admiſcendum.

 Me-

Medullæ inciſæ & deglutitæ vulgo miras laudes tribunt in urinâ ciendâ, ſabuloq; expellendo. Et novi ipſemet Virum quendam, qui cum Hydrope Aſcite, calculoq; laboraret, mulierculæ cujuſdam ruſticæ ſuaſu, ſolâ hac medullâ uſus eſt, pauloq; poſt, excreto ſabulo, ſeroq; per urinam copiosè indies evacuato, à doloribus Nephriticis & Hydrope liberatus piſtrinam ſanitatem recuperavit.

Sunt qui Eandem in taleolas ſubtiles inciſam in ſpiritum baccarum infundunt, ſpiritúmq; poſt dies quatuordecim cum fortiſſima Medullæ expreſſione, colatum ad cochleare unum exhibent, maximéq; commendant.

Spiritus

Spiritus Sambuci Lithonthrypticus.

℞. Medullæ Sambuci, ut dictum, incisæ uncias duas: superaffunde spiritus baccarum optimè rectificati quantum sufficit pro immersione medullæ. Stent in loco calido per septendium, vase benè clauso, ne quid expiret. Postea cum fortissimâ expressione Medullæ spiritus aliquoties transcoletur. In colaturam infunde baccarum Juniperi aliquatenus conquassatarum uncias duas. Relinque in infusione per biduum itidem in loco calido & vase optimè obturato: Postea iterum exprime & cola. In colaturam baccarum Juniperi de novo tantundem infunde, atq; per triduum in infusione relinque: postea iterum exprime & cola, quan-

quantúmque fieri poteſt, ab om[illegible] fæculentâ ſubſidentia depura. At[illegible] ita habebis ſpiritum Sambuci L[illegible] thonthrypticum eſſentiâ Medull[illegible] ſambucinæ & baccarum Junipe[illegible] imbutum, quem in Vitro obtura[illegible] tum ſerva. Ejus uſus excellens e[illegible] in calculo frangendo & expellen[illegible] do, ſi ſequenti præſertim mod[illegible] exhibetur.

Primum Nephriticus alvum pul[illegible] vere Turionum polychreſto, vel cly[illegible] ſtere paulò ante præſcripto exone[illegible] ret, & lumbis Oleo ſambucino im[illegible] unctis in balneum deſcendat, quo[illegible] ex ſtramine Piſorum, Malvâ, flo- ribus ſambuci & Chamomeli con- cinnatum ſit; poſtea de ſpiritu modò præſcripto cochleare unum in Vino albo oligophoro ebibat, & in Balneo, quouſq; calculus excer- natur, commoretur. Interea nari- bus

bus ad ſyncopen præcavendam ſpongiola Aceto Sambucino tumida ſimul tùm admovenda, pulſuſq; & tempora eodem Aceto vel Epithemate quodam Cordiali madefacienda.

Medicamentum hoc originem ſuam debet experimento illi, quod ex Matthiolo Germanico depromtum, Myſteriis ſuis Medicis inſeruit, & præſtans ac mirabile vocat Phil. Muller. Med. D. in Academ. Friburgenſi: cui tamen modó adductum & præſcriptum ob vim medullæ Sambucinæ ipſiuſq; ſpiritus baccarum incidentem & Lythonthrypticam non immeritò præferendum videtur.

Eſſentia ſeu Extractum Lithontribon.

Cui placet, poteſt & ſequenti modo

do Eſſentiam ſeu Extractum ele-
gans parare, cujus vires in calculoſis
& Tartareis affectibus inſignes ſunt.

℞. *Medull. Sambucin.* ℥ j.
Baccar. Sambuc. exiccat.
Juniperi recent.
ana ℥ j. ſ.
Glycyrrhiz. mund. ʒ vj.

Medulla & Glycyrrhiza minutiſſi-
mè incidantur, baccæ veró craſſo
modo pulveriſentur. Miſta in-
fundantur in ſpiritus ſambucini
ſufficientem quantitatem, ſtentq;
ſimul in loco calidiori per dies
quatuordecim, commoto indies
vitro, ejuſdemque orificio benè
obturato: Elapſo tempore ſac-
culo lineo injecta ſub prælo validè
exprimantur. Liquor excolatus
in cucurbitam imponitur, ac ſu-
perimpoſito Alembico in Balneo
menſtruum ſeu Spiritus ille ex-
ſtillatur

llatur, donec id quod in fundo re-
anet Mellis ſpiſſitudinem acqui-
t, additis prius Magiſterii ſeu Sa-
s Oculor. ♋ duabus drachmis.
liſta reſerva in vaſe vitreo: de qui-
us à ℈ j. ad ʒ j. in cochleari uno
Ienſtrui deſtillatione nuper ab Ex-
acto avocati diſſolve, & in Aqua
Linariæ cum Vino Rhenano deſtil-
ata exhibe: notis ac præceptis ob-
ervatis hìc iiſdem, quæ antea in
xhibitione Spiritus Sambuci Li-
honthryptici data ac præſcripta
uerunt.

Sal Sambuci, in affectu hoc Sali-
o & Tartareo etiam utilis, qui vel
per ſe, vel præcedenti Extracto
permiſtus in convenienti liquore
exhibetur.

Spiritus Salis ad gut. vj. vel viij.
mucilaginem Tartaream abſtergit.

Dyſuria

Dysuria & Ischuria.

In urinæ mictione difficili & in- hibita, medicamenta recensita quo- que salutaria sunt, cum hæc sym- ptomata ut plurimùm à sabulo vel mucido quodam humore, seu lentore viscido ductus urinarios ob- struente, oriantur.

Imprimis tamen hic utile foret Extractum Sambuci Lithontribon, de quo scrupulus in Aq. florum Li- nariæ exhibendus, Ægerque ad pu- bem decocto Raphani & Linariæ fovendus.

Acinos potos acetabuli mensu- râ urinam movere, refert Plinius.

CAPUT.

CAPUT XXVI.

De Vteri affectibus.

VUlvas emollire & aperire, & quæ circa eas affectiones ſunt, radicem Sambuci cum Aquâ decoctam inſeſſione corrigere Dioſcorides affirmat.

I. *De Menſium defectu.*

In menſium ergò defectu, qui utplurimùm à craſſo ſanguine, aut alio humore lento orificia Venarum Hyſtericarum obſtruente & præcludente oritur, multa competunt, quæ ex ſambuco parantur medicamenta.

Primum itaq; præmittenda ſunt ea, quæ alvum ſimul laxant, & à ſentinâ putridâ exonerant.

Propinetur igitur Vinum baccarum, quod alvum ſubducit, ſanguinemque

nemque ac humores craſſos atte-nuat.

Aqua ex corticibus medianis de-ſtillata, & Aquæ purganti ex baccis ſecundum Quercetanum paratæ permiſta utriq; ſcopo quoq; inſer-vit. Doſis unciæ tres cum unciâ una Syrupi de ſucco baccarum, Corti-cum aut Turionum.

Quam ſi magis Catharticam & dejectoriam expetiveris, adde pulv. Turionum polychreſti drachmæ dimidium, vel quantum ſufficit.

Rob Sambuci cum pulvere Di-ctamni albi vel Pimpinellæ mulier-cularum eſt remedium.

Gabel Khoverus hoc habet:

℞. *Baccar. maturar. Sambuc. Herb. Rorismarini an. M. j. Radic. Pimpinel ʒ s. (for-ſan ℥ s.)*

Coqu. in Menſura Vini veteris o-ptimi.

ptimi. De quo mane per triduum, antequam tempus menſium oppropinquat, calidè bonus hauſtus bibatur, jejuniumque duas horas obſervetur.

Utilis quoq; ſpiritus baccarum, qui ſubtilitate ſua totum corpus permeat, vaſa minutiſſima perreptat & humorum craſſitiem incidit & attenuat.

Uſurpari poteſt eodem tempore, quo antea menſes conſueverunt fluere. Doſis cochleare mediocre in Vino, aut Aquâ aliqua deſtillata.

Loco ſimplicis Hyſtericus paulò poſt deſcribendus eodem modo & quantitate exhibeatur. Eſt enim Vis ejus in menſibus quoq; ciendis egregia.

Commendatur quoq; Oleum deſcriptionis ſecundæ, ſi de eodem guttæ 2. vel. 4. ſpiritibus modò lauda-

laudatis addantur.

In ſcirrhosâ uteri diſpoſitione, ubi humor infarctus & in ſcirrhum induratus oſcula venarum claudit, ac menſtrua retinet, præter jam dicta fiant quoq; inſeſſiones ex Sambuci radice & foliis in aquâ decoctis, ſicut mandat Dioſcorides.

Fiant etiam illitus ex oleo florum & foliorum infuſorum pinguedini gallinaceæ permiſto. Eadem quoq; in decocto radic. & folior. diſſoluta in Uterum infundantur.

II. *De menſium profluvio.*

In hoc cohibendo excellit Tragea granorum Actes. De qua drachmæ dimidium, & Nuc. Muſcatæ tantundem in Ovo ſorbili, aut Vino rubro extinctione Auri candentis uſtulato exhibeatur. Vel

℞. *Trageæ granor, Actes ʒ s.*

N. M.

N. M. parum tostæ
Rad. Tormentillæ
Corall. rubeor. Aq. rosac.
præpar. ana ℈ ij.
Sacch. rosat. tabulat. ʒ vj.

Misceantur pro Tragéa, de qua manè & vesperi pro dosi drachmæ duæ in dictis liquoribus assumantur.

Quod si sanguis sit nimium serosus & fluxilis, serum illud vel per alvum moderatè ac leniter purgantibus, vel per sudorem, Hydroticis non ita calidis ac validis excludatur. De quibus alibi fusiùs.

Gabel Khoveri hoc est: Porrige ipsi (mulieri) manè cochlearia tria Aquæ florum sambuci optimæ, jejuniumq; ad três horas impera.

III. *De uteri suffocatione.*

Cum hæc affectio periculosissima à malignâ frigidáq; aura, ex Utero, vasisq;

vaſiſq; uterinis ad diaphragma Co[r] & Cerebrum exhalante dependeat, Uterus ab omni malignorum putri-laginoſorumq; humorum colluvie evacuandus erit, vireſq; corroborandæ.

Adhibeantur hic, quæ paulò ante in Menſium retentione adducta ſunt, tùm quod hæc haud minima raráve cauſa horum malignorum Vaporum eſſe ſoleat, tùm quod eadem Medicamenta Colluviem uterinam quadecunq; cauſſa collectam evacuent aut diſſipent.

Plurimum verò hìc valet cùm intra, tùm extra Paroxyſmum cochleare, dimidium vel integrum ſpiritus florum baccarúmve Sambuci. Uterq;enim vapores frigidos ac venenatos ex ſentinâ uterinâ evaporantes potenter diſcutit, principalia viſcera ab eorundem contamina-

tione

ione vindicat, reſpirationemq; liberiorem reducit.

Gabel Khoverus recipit ſpongiolar. Sambuci Manip. 1. & infundit n menſuram unam ſpiritus Vini: de quo Hyſtericæ in ipſo Paroxyſmo hauſtulum exhibet.

Utilis hic quoq; ſpiritus Sambuci Antepilepticus, ſi loco ſimplicis uſurpetur, eodemq; exterius abdomen infra umbilicum pubem verſus llinatur.

Vel paretur ad hoſce & ſimiles affectus ſequens

Spiritus Sambuci Hyſtericus.

℞. *Cortic. median. Sambuci* ℥ j.
Rad. dictamn. albi
Ariſtol. rotundæ ana ʒ iij.
Fol. Sambuc. ſicc. M j.
H. Artemiſiæ rubræ
Meliſſophyll. fragr. an. M s.
Antheræ

Antheræ Lilior. albor. ℥ ij.
Spongiol. ſambu. mund. N° ii
Inciſa infunde in Spiritus Sambu
quantitatem competentem, ut n
mirum altitudine palmæ tranſver
ſuperemineat. Stent in infuſione p
decendium indies bis agitata. Po
deſtillentur in Balneo pro ſpirit
Hyſterico: de quo in Paroxyſm
integrum vel dimidium cochlea
exhibe, eodemq; Ventrem infer
orem, ut modò dictum, fricand
inunge.

Non ſolùm autem in Uteri ſuffo
catione, quam καθ᾽ ἐξοχὴν paſſioner
Hyſtericam appellant, verùm etia
in menſtruis retentis, aliisve frigid
& humidis Uteri affectibus egregi
us eſt.

Prodeſt etiam in fœtu mortu
expellendo, & ſecundinâm relict
educendâ, ſi univerſalibus & Topi
ci

tis præmiſſis in Vino albo aut Aqua aliquâ deſtillatâ ad cochleare unum propinetur, permiſtis eidem priùs Olei florum deſcriptionis ſecundæ guttis tribus vel quatuor.

Extractum Granorum Actes.

Ex granis Sambuci maturis, & ad umbram per aliquod temporis ſpatium exiccatis Extractum efformat Quercetanus, quod ſpecificum Hyſtericum eſt, & à Chymicis extractum granorum Actes nominatur; cujus præparatio talis:

Collige magnam copiam granorum Sambuci optimè ad umbram exiccatorum ut diximus: cæteriſq; abjectis ſola grana accipe, quibus ad mediam partem imple mateacium magnum cum longo collo; ſuperaffunde fortiſſimum ſpiritum Vini acidulum redditum liquore

acido vel Vitrioli, vel ſulphuris, ut materiæ tres quatuórve digitos ſu-pernatet. Vaſe clauſo, ut nihil expi-ret, fiat digeſtio in B. M. per 5. vel 6. dies: donec Spiritus Vini in co-lorem Rubini tinctus apparuerit, quem ſeparabis per inclinationem, cavendo, ne quid ex fecibus aut turbulenta materia ſimul tranſeat.

De qua TINCTURA jam, non eti-am ſeparato prius menſtruo, hoc eſt, Aquâ Vitæ, quæ ſine corruptio-ne aut alteratione ullâ diutiſſimè ſervabitur, & cui, ſi voles, addi parum Sacchari, gratioris guſtus cauſſâ, exhibebis ſemicochleare ar-genteum, aut cochleare plenum mulieribus, quæ ex uteri præfoca-tione miſeris modis excruciantur, & ſubitò effectus ſequetur exoptatiſ-ſimus. Ex improviſo enim & quaſi miraculoſè expergeſient, priſtinæ

Valetu-

Valetudinis integritati reſtituentur.

Rurſum, ſi velis, ſepara inde Aquam Vitæ per Alembicum in Balneo vaporoſo, donec in fundo remaneat Extractum rubicundiſſimum, de quo exhibebis ſcrupulum unum pro doſi, idq; diſſolves in ſuâ propriâ Aquâ deſtillata, aut in quibuſdam aliis convenientibus, aut in Vino albo, quod inde rubeſcere incipiet. Hæc Joſephus Quercetanus lib. 1. Pharmacop. Dogmatic. reſtitutæ cap. 25. pag. 229.

Miſtura Uterina, quam ego hactenus parare ſolitus ſum, talis eſt.

Primo aſſumo baccar. Sambuci lento furni calore exſiccatar. Meliſſæ, & Caſtorei quantum placuerit; ſuperaffundo cuilibet ſeorſim in phiola ſpiritum Sambuci optimè rectificatum, eſſentiamq; ut artis eſt, extraho, ac unamquamlibet ſeparatim

depuratam servo in vasis vitreis.

Postea ℞. *Essent. beccar. Sambuci ℥ v.*
Meliss. ℥ iij.
Castorei.
Spiritus Vitrioli optimè rectif. ana ℥ ij.

Mista infundo in cucurbitam seu Vitrum angusti orificii, ac in balneo, vel Hypocausto calido per descendium digero ut probè uniantur, fecesq; si quæ adhuc admistæ sint, in fundo subsideant: à quibus id quod clarum est separandum, colandum, & in Vitro benè obturato reservandum: Dosis cochleare parvum argenteum per se vel in Aquâ aliquâ appropriatâ dissolutum.

Quod si magna Cacochymia adfuerit, corpus ante omnia pulvere Turionum polychresto expurgandum erit.

Appendicis

Appendicis loco huic capiti xxvi· annectere libuit, quæ in affectibus Uterinis curandis jamdudum ex Sambuco concinnavit & commendavit medicamenta ſummus noſter Princeps HIPPOCRATES.

In *Hydrope* uterino commendavit Sambuci fractum in Vino jejunè exhibitum, lib. d. Natur. Muliebr. & lib. 1. de Morb. Mulier.

Purgans puerperii purgamenta dicit eſſe hoc: Sambuci folia coquito & Aquam bibendam dato, lib. 1. d. Morb. Mulier.

Si ex partu Uterus fuerit inflammatus, Sambuci folia tenerrima cum craſſiore tritici recentis farina cocta leviter tepida ſorbeat; prout ſonat Latina verſio Cornarii: Græcus textus ita habet: τῆς ἀκτῆς τὰ φύλλα ὡς ἁπαλώτατα ἐν πυρῶν κρίμνοισιν ἑψήσας σιτανίοισιν ἀκροχλίαρον ῥοφέειν, lib. 1. d.

1. d. Morb. Mulier.

Ibidem quoq; jubet Sambuci me-
dullam ac tenerrimam partem de-
rasam oblongam indere. *ἣν ἐκ πάι*
φλιγμήνωσιν αἱ ὑστέραι, ἀκτῆς τὸ μέσον καὶ οὐ
παλώτατον πειξίους μακρὸν, ἔνθες.

In Ulceribus Uteri Lini semen a
sambuci fructum tundito, & am
mixto melle pharmacum facit
atque hoc utitor lib. 1. de Morb
Mulier.

Vel Sambuci & Lentisci folia i
Aquâ coquito, & excolatam levite
tepidam infundito, lib. de Natur
Mulier.

Eadem etiam cum mulsa trit
exterius possunt applicari, ibid.

In exulceratione Uteri impurio-
ri Sambuci fructum & lauri baccas
aquis portionibus in Vino coquito,
deinde Vinum infundito, lib. d. N
M. & lib. 1. d. M. M.

Ve

Vel Sambuci fructum, anisum, thus, myrrham, Vinum sumito, & harum succum infundito, ibid. quo etiam menstrua & Lochia provocat, lib. 1. d. M. M.

Ad secundinam relictam ejiciendam: Ex Sambuci foliorum decocto priùs fomentum adhibeto, & id quod ex Cantharidibus fit, apponito, ibid.

In fluxu mensium nimio Sambuci & myrti folia in Cataplasmate adhibet, lib. 2. M. M.

Vel Sambuci & Lentisci folia in Aqua coquito, & cum excolata leviter tepida Uterum colluito, ibid.

In Uteri strangulatione: R. Olei heminas dimidias tres, foliorum Sambuci Manus plenæ mensuram; hæc coquito & cum calidis foveto, aut testis calidis immissis fomentum facito, muliere in sella collo-

cata, & veſtimentis cooperta.

Aut Sambuci folia cum myrt coquito & in excolatâ Aquâ pale hordei coquito & fomentum fac to, ſi calorem ſufferre poterit. ibidem.

Si dolor fuerit vehemens po purgationem Sambuci fructum, & Lauri baccas in Vino nigro coquito ac colluito. ibidem.

Aut Sambucum in Aquâ coquito & Aquâ excolata & Vino dulci affuſo colluito. ἀκτῆς καρπὸν ἢ ἀκτὴν ἑψήσα ἐν ὕδατι, ἀποχέειν τὸ ὕδωρ, οἶνον δὲ γλυκὸ παραχέας κλύσαι. ibid.

De quibus omnibus & aliis pluribus conſulatur Hippocrates libris & locis allegatis.

CAP.

CAPUT XXVII.

DE ARTHRITIDE.

QUam pertinax hic affectus ſit & quam miſerè Ægrotantes ſummo cum cruciatu dilaniet, infantibus ferè notum eſt, ſui tamen mitigationem, ſi non plenariam extirpationem, (quamvis & hanc quandoque præſtet) à Sambuco noſtra, ejuſdemq; Medicamentis quoq; præſtolatur.

Et cùm ad preſervandum nihil præſtantius ſit, quàm ut omnis ſeroſorum humorum proventus impediatur, & ſi quis generatus fuerit, ſenſim excludatur: (Ab his enim ſi non ſolùm & unicè, maximè tamen frequenter oriri Arthritidem & ejus ſpecies experientia teſtatur) ſequentia etiam hic erunt convenientiſſima.

Vinum nimirum baccarum, (d quo aliquoties in hebdomade ma ne, vel in principio Prandii, Cya thus ebibatur.

Fortius & validius eſt, quod ſupr cap. 24. ex Quercetan. adductum

Aqua ex Corticib. ſucculentis de ſtillato in Autumno & Vere aliquo ties ebibenda. Dulcoretur terti parte ſyrupi de ſucco bacc. Turio númve, exhibeaturq; ad uncias qua tuor.

Ut vehementiùs purget, admiſce huic pulveris Turionum polychreſt drachmam dimidiam vel integram pro virium robore.

Vomitus in præſervatione hujus affectus plurimum valet, ſi in aſſuet tis ſemel ſaltem in menſe provoce tur. In curatione quoq; Arthritidis & inprimis Iſchiados & Podagræ Vomitus, cum per ſuperiora revel-

la

lat & derivet, plus præſtat, quam aliæ quævis per inferiora factæ purgationes. Idcircò per dies duos, & deinceps quoque, ſi malum perſeverat, poterit repeti.

Excellit hic Oleum è baccarum acinis expreſſum, & ad ſeſquidrachmam injuſculo Cerevifiæ exhibitum. Utile quoq; eſt oleum infuſionis florum vel Corticum. Doſis uncia una vel duæ in Aquâ tepidâ.

Sudorem evocare bis vel ſemel ſaltem in menſe, corpore ſemper priùs purgato, inſultus Arthriticos reprimit. Materia namq; ſeroſâ in univerſo corporis habitu collecta per ſudorem commodiſſimè diſcutitur: unde & Arthritide laborantibus quamprimum ſudor vel per ſe, vel Arte erumpit, exoptata ſolutionis ſpes effulget. Vide Obſervat. 83. Centur. 5. G. Fabritii Hildani.

Ex-

Exhibeantur ergò Rob ſeu ſucc
inſpiſſati baccarum drachmæ dua
cum Cornu cervini præparati ſcru
pulo: Vel Extract. granor. Acti
drachmæ dimidium vel ſcrupu
duo. Vel ſpiritus baccarum florúm
ve cochleare j. vel duo, &c.

Quorundam εὐπόριστον hoc eſt:

℞. Rad. Ebuli vel Sambuci un
ciam ſemis: Acinorum pulveriſa
torum drachmam unam. Macerer
tur per noctem in Vino albo. Cuju
colatura ſaccharo parum dulcora
manè in lecto ad ſudorem prolic
endum propinetur. Quæ etiam in
ſtantem Paroxyſmum, ſi exhibetu
intercipit.

Tempore Verno commendabile
ſunt Turiones cum Oleo, Aceto &
Sale parati, reliquiſq; acetariis per
miſti, & ſæpiùs ante cœnam modi
cam eſitati. Alvum enim à ſentim

lenite

leniter exonerant, ſanguinemq; à ſeroſitate emundant.

Utilis quoq; ad Podagram & omnem ferè Arthritidem præcavendam pulvis ex Turionibus in umbra ſiccatis. De quo in Vere & Autumno manè per aliquot dies, aut etiam integrum menſem ſcrupuli dimidium in Ovo ſorbili cum pauco Sale aſſumatur. Aut uſurpetur Conſerva Turionum vel per ſe, vel æquis partibus Conſervæ florum permiſta. Doſis portiuncula inſtar Nucis juglandis aut caſtaneæ manè & veſperi ante cibum. Superbibatur aliquid Aquæ florum ſyrupo de ſucco baccarum dulcoratæ.

TOPICA.

Aquis deſtillatis foliorum & florum Sambuci lintea imbuta & tepidè applicata dolorem mirè ſopiunt,

unt, poros reſerant, materiam co gerunt, & partes nervoſos roboram

Penetrationis ergò & ubi rubedo caloŕq; intenſior, addi poteſt Acetum Sambucinum in æquali quantitate.

Ubi materia frigidior, doloŕq diuturnior, eadem lintea tali liquori immergi & tepidè admoveri poſſunt.

℞. *Spiritus ſambuc. è baccis ℥ iij*
è floribus ʒ ij
Opii Thebaici ℈ ij. Miſce.

Dolores vi ſuâ Narcotica demulcet, materiamque contumaciorem diſcutit & membra refocillat.

Aqua Podagrica Anodyna.

Aquam Podagricam præſcripſit Quercetanus lib. 1. Pharmacop. Dogmat. reſtit. cap. 7. h. m.

℞. Foliorum & florum Sambuci Viri-

Viridium ana ℔ j. aut plus minus, prout libuerit majorem vel minorem quantitatem conficere. Contundantur, optiméq; macerentur in B. M. dein deſtillentur per vas vitreum, vel cupreum ad ſiccitatem: Deq; hac Aquâ bis in die foveatur pars dolens, eaq; confidenter & intrepidè utere, vel etiam in eâ Podagræ ſpecie, quæ à calidis humoribus promanarit. Verba ſunt ipſius Quercetani, loco allegato.

Oleum quoque, in quo Sambuci, vel Ebuli radices, & folia, vel ſuccus inde extractus coxerint, imprimis oleum ſeminis Ebuli (à quo tamen ſemen Sambuci parum vel nihil diſtat) hic ſummè laudatur. Quod fit, ſi illud bene maturum repurgatumq; in paſtam contuſum in Aqua coquatur, ſpumaq; colligatur, eaq; in Vitro oblongo poſita in loco tepido

tepido per triduum aut quatriduum collocetur, donec oleum, quod sub viride eſt, fundum petat. Idem quoque ex ſeminibus illius expreſſum efficaciſſimum eſt. Verba ſunt Feliciſſimi quondam Plateri parte 2. Prax. fol. 619. Vel

℞. *Olei infuſ. florum Sambuci. ℥ ij.*
ex acinis expreſs. ℥ ſ.

Miſta parti dolenti calidè illinantur.

Folia recentia podagricis cum Taurino Hircinóve adipe illita auxiliari retulit Dioſcorides.

Novi Virum, qui quotieſcunque podagrâ corripitur, hac ſolâ ferè inunctione utitur.

Recipit cremorem lactis recentem, eidemq; permiſcet pulverem instar pollinis ſubtiliſſimum florum & foliorum Sambuci, ut conſiſtentiam pulticulæ ſeu Cataplaſmatis

ac-

cquirat; quod linteis impoſitum arti dolenti calidiuſculè applicat, ummumq; levamen ab hoc unico x ſimplici remedio, felici ſucceſſu, xpectat, & experitur.

Gabel Khoverus inter alia etiam oc habet:

℞. Aquæ Sambuci & ſpiritus Vi- i ana uncias duas; Miſce & pannis nbibita applica.

Aliqui ſumunt Aquæ Sambuci ncias duas, Aquæ Vitæ unciam nam. M.

Idem in Articulorum doloribus, liisve defluxionibus frigidis, à uibus ipſa quoq; membrorum pa- alyſis ſeu reſolutio dependere ſo- et, ſequens valdè commendat.

Recipe Medullæ Sambucinæ bo- am partem, Vini Rhenani quarta- ium unum, & tantundem tuæmet pſius Urinæ. Miſta & in ollam re- centem

centem indita decoque ad dimidii[illegible]tatis consumtionem. Postea locum dolentem Spiritu Vini inunge, eum demque benè infrica: cui demum pannum laneum decocto suprascripto imbutum calidiusculè impone, & si exiccatus fuerit, iterum imbue & applica. Id quod & ante introitum lecti facias.

A quibusdam in Arthritide præsertim calida sequens laudatur.

Liquor mucigilaginosus Anodynus.

℞. Cochlearum vivarum integrè domunculis suis testaceis recenter exemptarum, Baccarum Sambuci in clibano exiccatarum & pulverisatarum, nec non Salis usual. culinarii, ana quantum placuerit. Inde sacculo colatorio, quem manicam Hippocratis vocant, stratum

supe

uper ſtratum quoties lubet facien-lo: ita ut ſingulis vicibus primo Cochleas, mox Salem, & deinde Baccas injiciendo Sacculus ad ummum uſq; impleatur. Suſpen-latur in Cellâ, è quo liquor ſenſim xſtillans glutinoſus macilagine ıſq; ſtudioſè colligatur, Vitroq; in-cluſus Soli per quatriduum exponatur: quo dolentem partem blandè lline.

CAPUT XXVIII.

De Scabie, Pſora, Impetigine Herpete, & reliquis cutis fæditatibus.

AUreum eſt Divini noſtri Præceptoris Aphoriſm. 21. ſect. 1. effatum: ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ ταύτῃ ἄγειν διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων: quo

quo monet, ut motum ductumq; Naturæ probè obſervemus, eundemq; Medicamentis noſtris, quantum fieri poteſt, adjuvemus.

Cum itaq; in hiſce cutis efflorescentiis pluribus Natura materiam noxiam à partibus principalioribus ad ignobiliores & minus principales, cutaneas videlicet, exturbet, ſudorifera, & quæ ad Corporis ambitum ducunt, optima hic eſſe videntur.

Quia verò non rarò magna humorum putreſcentium caterva circa Ventriculum, Meſenterium, Hepar, Splenem &c. reſidet, ſentina illa, quoad ejus fieri poteſt, Emeticis & Catharticis prius exantlanda erit, ne evacuatione hac prætermiſſa aut neglecta, intempeſtivo ſudoriferorum uſu, humores putridi ac falſuginei ex cloaca primæ regionis in

Venas majores & nobiliores de-
ısi periculoſiora damna accer-
nt.

Purgantia & Solutoria.

In delicatis itaq; ac infantibus
fficere poterant Aquæ ex Cortic.
cculentis binis cohobiis deſtilla-
e aliquot cochlearia, ſyrupo de
cco baccarum dulcorata.

Item Syrupus de ſucco baccarum
er ſe ab uncia dimidia ad ſequiun-
am exhibitus.

In provectioribus exhibeatur A-
ua ex baccis purgans deſcriptionis
uercetani ab ℥ ij. ad iij. cum un-
a Syrup. de ſucco Turionum vel
orticum.

Aut uſurpetur bis vel ter, pulvis
urionum Polychreſtus in hauſtu
ri lactis.

Vel incorporetur cum conſerva
flo-

florum pro Bolo: aut cum Syrup eorundem vel ſimili redigatur i formam pilularem. Eſt enim in cor pore & ſanguine ab humore ſalſ ac feculento purgando medic: mentum non contemnendum.

Vel ſumatur Cyathus unus ſe lactis: Maceretur in eodem Cort cum medianorum Sambuci unc: dimidia vel integra. Mane colatu ra expreſſa calidè ebibatur.

Vinum infuſionis Cortic. radic Sambuc. ſubtiliſſimè abraſi, val ad vomitum provocandum, & ven trem evacuandum à malis humor bus. Et hoc facit, quando ſimu ſteterint per noctem. Verba ſu Johann. de Vigo Oper. Chirurgic part. 1. lib. 7. paragr. de Sam buco.

Vel ℞. Olei è baccarum arill expreſſi drachmam, plus minúſv

pr

ro virium robore. Exhibe in Cy-
tho Cerevisiæ tepefactæ.

Utile quoq; foret scabiosis, si ex
urionibus recentibus (qui primo
atim Vere una cum cutaneis illis,
fflorescentiis & pustulis prurigino-
is ὀλεσιχρόνοις singulari Naturæ favo-
e, pullulant) in Aquâ fervidâ, pau-
isper prius maceratis, cum Oleo,
ale & Aceto Salatum fieret, quod
liquoties esitatum Alvum & pri-
mas vias expurgaret, sanguinem-
que à salsioribus serositatibus libe-
aret.

SUDORIFERA.

His ita præmissis, id quod jam in
cute restitat, aliásve adhuc massæ
sanguineæ permiscetur, sudoriferis
excludendum erit.

Aqua florum Sambuci, eorun-
demq; spiritus lymphatior etiam
in-

infantibus propinari poſſunt. P[illegible]
ſapore delectabiliori tantillo ſyru[illegible]
infuſionis florum condiantur.

Adultioribus ſequentia comp[illegible]
tunt.

℞. *Rohob. Sambuc. ʒ ij.*
Cornu Cerv. uſti & pr[illegible]
par. ℈ j.
Aq. florum ſambuc. ℥ ii[illegible]
Oxymel. Sambucin. ℥ s.
M. F. H.

Vel ℞. *Extract. bacc. Sambuc. ℈ i[illegible]*
Salis Sambuci ℈ s.
Aq. florum deſtillat. ℥ ij.
Aceti horundem ℥ s.
M. F. H.

Poſt quorum aſſumtionem ſudor i[illegible]
Balneo lectóve proliciatur.

Ad viſcera abſtergenda, alteran[illegible]
da & roboranda utilis eſt conſerv[illegible]
florum Sambuci, conſervæ florum[illegible]
Cichorii permiſta.

Ve[illegible]

Vel fiat tale Julapium, de quo singulis diebus hora una vel altera ante cœnam uti, & post egressum Balnei, aut Sudatorii ℥ iiij. bibantur.

℞. *Conserv. flor. Sambuci*
Borragin.
Cichorii an. ℥ *s.*

Dissolve super igne lento in Aq. flo. Sambuci ℔ ij.

Colatura expressæ adde

Syrop. Acetos. Sambuc. ℥ *ij. M.*

TOPICA.

In universaliori fœdiori & diuturniori cutis scabie, impetigine, psora &c. paretur tale Balneum.

R. *Fol. Sambuci recent. Man. x.*
Umbell. flor. integr. N°. vj.
Sulphur. vivi ℥ *ij.*
Alumin. crud. ℥ *j.*

Coq. in s. q. Aquæ fluviatilis, cui post sexta pars lixivij addatur. Sedeat in hoc Balneo Æger indies se-

 mel

mel ad ſudoris evocationem, n
neglectis tamen internis modo all
gatis. Aut ubi ſolum manus & p
des ſcabie ſunt infectæ, idem dec
ctum, ſed in minori quantitate p
randum eſt, quo manus & pedes i
dies abluantur. Nihil tamen proh
bet, quo minus & alia, ac inprim
radices Oxylapathi & Helenii a
dantur.

Poſt Balneum loca ſcabie exu
cerata, & hiantia illinantur ad d
loris mitigationem Oleo infuſion
florum: cui ut vim magis ſiccante
& ſanantem concilies, folia Sambu
ſubtiliſſimè pulveriſata ad linimen
conſiſtentiam admiſce.

Aut uſurpa linimentum Matthic
vel Plateri. Vel

℞. *Olei infuſion. florum*

Cort. Sambu

ana ℥ iij.

Ci

Cerussæ lotæ ʒj. *vel* ℈ iiij.
Ceræ q. s. F. Linimentum.

[P]ustulas illas nigras rotundas, & in [a]mbitu admodum rubentes in pedi[b]usq; mulierum præsertim, frequen[t]iùs erumpentes, quas Germani [b]ose *Blattern* appellitant, sæpiùs [A]quâ foliorum irriga, præscriptisq; [l]initionibus mitiga.

Nota. Erat Hainæ fœmina, Pan[n]ificis uxor, quæ cum ob pustula[r]um hujusmodi copiam pedem do[m]o efferre non posset, miseréq; hinc [o]b ardorem pustularum inquietare[t]ur, meo consilio, præmissis præ[m]ittendis pro Topico utebatur la[c]te, in quo flores Sambuci macera[t]i erant quod linteis calidiusculè [i]mbibitum cruribus pustulosis mag[n]o emolumento applicabat. Ubi [c]alor & rubedo intensior est, loco [l]actis simplicis jubeo sumere oxy-

 gala,

gala, ſeu lac ebutyratum.

Herpetem ſimplicem ſolus ſud: aſſumto Rob Sambuci aliquoties: vocatus, vi ſua abſterſoria & ſicc toria curabit.

Magni quoq; fit à quibusdam H Oleum è baccarum arillis expre ſum, & cùm Saccharo Saturni formam linimenti redactum, ſi p ſtulis illis miliaribus acu apertis, à ſero mundatis illinatur, ſuperin poſito ſaltem, folio Sambuci r centi, aut in umbrâ exiccato.

In *Herpete exedente* ſeu *eſthiom no*, quem Germani *den freſſend Burm* vocant, depurato per purga onem, ſudorem Venæq; ſectione ſanguine, tale commendatur Cat plaſma, quò etiam aniculas quaſda medicaſtras quæſtum feciſſe com pertum eſt.

Folia recentia Sambuci contun

n vaſe fictili piſtillo ligneo, pauxil-
o inter contundendum Aceti(Sam-
bucini.)affuſo, eâ planè ratione, qua
Mulierculæ embammata ſeu intin-
ctus ex Naſturtio, Acetosâ, aliisve
parare ſolent: Materiæ huic con-
fuſæ ac ſucculentæ admiſce Ciner.
folior. Sambuci partem unam, pul-
veris ſeu farinæ foliorum partes du-
as, ut fiat inſtar paſtæ ſeu Cataplaſ-
matis ſpiſſioris: Cui, ut magis &
melius adhæreſcat, aliquantulum
Therebinthinæ Vitello Ovi diſſo-
lutum licet admiſcere.

Applicetur bis in die, ſordeſq;
mundis linteis priùs optimè abſter-
gantur.

Nec hoc purum putum novum
inventum eſt: Eadem namq; folia
Sambuci contrita cum Elleboro &
Oxymelite ſcillitico ſerpigini, im-
petigini & Morpheæ impoſita ſana-
re

re eas atteſtatur Johan. d. Vig
Chirurg. ſuæ part. 1. lib. 7.

CAPUT XXIX.

De Eryſipelate ſeu Roſa Germanorum.

USitatum eſt vulgo, quampri
mum Roſa invadit, Medica
menta aſſumere, quibus Natura ad
juvatur, & materia ab interioribu
ad exteriora excutitur; quem in fi
nem Rohob ſeu ſuccus baccarum
inſpiſſatus cum Aquâ & Aceto flo
rum adhibetur. Malignitate enim
haud carere hanc materiam, non ſo
lùm Vulgus, ſed & Medici erudit
& exercitati ſtatuunt.

Wierus utitur hac potione:

℞. *Aquæ flor. Sambuci* ℥ *iij*

Sem

Sem. Apii ℥ s.
T. ſigillat. ℈ s. Miſce.

ſunt qui in omni Eryſipelate & illo quoq; quod ſcorbuticis crebrò ſupervenire ſolet, ad malignitatem per ſudorem diſcutiendam ſequentem Bolum deglutiunt, & Aquam florum Sambuci ſuperbibunt.

℞. *Rob Sambuci ℥ ij.*
BeZoartic. mineral. gr. vj.
Miſc.
Vel
℞. *Extr. Rob. Sambuci ℈ ij.*
Sulphur. ☉ti ♁nii ℈ s.
Miſc.

Quod ſi alvus fuerit aſtricta, exhibe Syrupum de ſucco baccarum, qui alvum laxando malignitati ſimul reſiſtet.

In fortioribus & ubi magna cacochymia in primis viis ſubſiſtit, addi poteſt de pulv. Turion. poly-

chresto drachma dimidia vel inte-gra pro virium robore.

Ad calorem viscerum ipsiusque sanguinis attemperandum, exhibenda *sunt* ea, quæ in curatione febrium ardentium, alibiq; descripta invenies.

TOPICA.

Topica híc non debent esse refrigerantia, repellentia, vel pinguia, & quæ poros cutis obstruunt: ne materia illa acris ac maligna ad nobiliores partes repellatur, aut in ipsâ quoq; parte affectâ concludatur: unde non rarò gangræna ipsius membri tandem suborta est. Qua de caussa & vulgus omnem madefactionem tam studiosè devitat, & si quid mali hic exurgit, uni soli madori, sed malè adscribit. Non enim omnis madefactio hic impro-

banda

panda eſt, ſed ea ſaltem, quæ ex adſtringentibus, repellentibus & poros conſtipantibns concinnatur. Quæ verò poros cutaneos reſerant, humoreſq; digerunt & abſumunt, tantum abeſt ut obſint, etiamſi liquida ſint, quin potiùs ſummè proſint.

Ex Sambuco ergò, quæ teſte Johann. d. Vigo virtutem habet fortiter reſolvendi, exiccandi & aperiendi propter ſubtilitatem partium ſequentia tutò adhiberi poſſunt.

Corticem ſtipiti abrade & parti Eryſipelate obſeſſæ circumcircà ter indies applica.

Vel ℞. Saponis albi unciam unam. Diſſolve in Aquæ florum aut foliorum Sambuci ℔ iij. & ad ignem lentum fac leviter ebullire. Hoc decocto imbuantur panni linei, tepideq; parti affectæ applicentur, ac quotieſcunq; exiccati fuerint, renoventur

Alii eoſdem prius exiccant, & exiccatos admovent, quo plebis deſiderio ſatisfaciant, quæ ut dictum in hoc affectu madorem, ſi quippiam aliud extimeſcit. Commendatur & hoc:

℞. *Aqu. flor. Sambuci ℥ v.*
Theriacæ Andromach.
ʒ j.

Miſceantur: pannos lineos immerge, & nonnihil expreſſos parti tepidè applica, ſiq; reſiccati fuerint, liquori iterum immerge & parti admove.

Vel

℞. *Baccar. Sambuci exiccat. ℥ ij.*
florum ejuſdem M j.

Contuſa & inciſa decoq. in Aquæ ſimpl. ℔ ij. ad conſumtionem tertiæ partis: Colaturæ adde Lixivii dilutioris ℥ iij. Miſc. quibus tepefactis lintea imbuantur, & modicè

expreſſa

expreſſa parti, ut antea monitum, applicentur.

Tabernæmontanus expertum eſſe dicit, ſi Rob Sambuci Roſæ illinatur, quod eandem mirè allevet atq; abigat.

Lac aureum (quod paratur ex Lixivio & Oleo ſambucino bene ſimul agitatis, ut lactis colorem acquirant) feliciter hic adhiberi poſſe graviſſimi authores perhibent, inprimis cum ad exulcerationem, aut gangrænam roſa inclinaverit. Partium enim ulteriorem putredinem & corruptionem vi ſuâ ſiccante & abſtergente cohibet, ob admiſtionem Olei dolores lenit, & ulcus demum ſanat. Applicetur calidè.

Qui omnem madefactionem renuunt, utantur linteis, hujuſmodi liquoribus ſæpiùs imbutis & exiccatis.

Vel

Vel quod consuetum Vulgo est furfures macros æquali parti florum Sambuci, pulverisatorum permistos membro aut parti affecti circum inspergere, ac ab aëre inclementiori diligenter defende.

SPECIFICA.

Ad præcavendum hunc affectum quidam sequens miris laudibus, depraedicant.

℞. Florum Sambuci recentium vel in defectu rectè siccatorum Manip. j. Lactis Vaccæ rubræ, aut rubris saltem maculis consperfæ ℥ viij. Coquantur in vase clauso igne lento. Colatura bibatur mane, quoties Luna decrescit, bis, ter, quater, vel per integrum etiam, si lubet, annum singulis mensibus. Hoc modo si quis utatur lacte isto, planè imposterum immunem ab hoc malo reddi scribunt. Vide etiam Excellentiss.

lentiſs. Dn. D. Sennertum in tractat. de febrib. lib.2. cap.16.

Nec ratione videtur deſtitui hoc medicamentum. Dum enim ſanguini nimia ſua fluxibilitas & acrimonia medicamento hoc adimitur, Naturam impoſterum minus ac eodem ſtimulari probabile ac credibile eſt. Quid? quod impreſſiones & tincturæ iſtæ malignæ Hepati ac Venis impreſſæ, ſanguinemq; contagione ſuâ coinquinantes crebro hujus Medicamenti ſpecifici uſu penitus extirpari poſſe videantur.

Commendatur quoq; *Amuletum* ex Sambuco Sole nunquam irradiatâ, ſi de Virgulto ſpatium, quod eſt inter duo internodia de collo laborantis ſuſpendatur; Quidam id idem in taleolas aliquot diſſectum, & nodulo ex induſio Virili (quod tamen videtur eſſe anile & ſuper-

ſuperſtitioſum) inſutam magis lau-
dant.

Cujus experimenti certitudinem
Lipſiæ ex Amico quodam primùm
cognovi: qui cum antea crebrò
quotiescunq; vel parum à decenti &
conſuetâ Victus ratione deviaſſet,
hoc affectu impeteretur, ſe tamen
impoſterum per aliquot annos, cum
hoc Amuleto uſus eſſet, immunem
à Roſâ degiſſe ſanctè atteſtabatur.
Communicaſſe idem ipſum, quod
in ſuomet collo geſtaverat cuidem
fœminæ, quam etiam hujus folium
uſu ab inſultibus iſtis liberatam
prædicabat.

Qua de re tamen & aliorum eſto
judicium, cum unicuilibet id tutò
faciliq; negotio experiri liceat: Et
multa ſunt occulta rerum effluvia:
quorum operationes uti in propa-
tulo ſunt, ita cauſæ in Abyſſo ob-
ſcuritatis

ſcuritatis ſubmerſæ ac reconditæ latent, vix ullo mentis humanæ acumine penitus eruendæ.

CAPUT XXX.

De inflammationibus Oedematis & Scirrhis.

I. *De Inflammatione.*

FOlia recentia ac tenera cum polenta illita inflammationes mitigare ſcripſit Dioſcorides.

Utilior eſt placenta ſeu caput mortuum foliorum & florum poſt deſtillationem in fundo Veſicæ relictum, ſi oleo infuſionis florum humectatum phlegmonæ applicetur.

Vel ℞. *Folior. Sambuci M. iij.*
Polentæ hordeac. M. j.
Coqu. in Aquâ ſimplici ad pultis con-

consistentiam. Per cribrum traject. adde Ol.infusion flor. Sambuci ℥ ij farinæ florum & foliorum Sambuci ana q. l. F. Cataplasma. Digerit enim, resolvit, & si in abscessum degenerat, maturat.

Stymmata florum & foliorum Sambuci hujusmodi Apostematibus ad maturandum vel digerendum etiam apponi possunt.

Apertum Apostema tractetur ut ulcus, de cujus curatione mox dicetur.

II. *De Oedemate*.

Tumoribus Oedematosis, pedum in comprimis, quomodo succurrat Sambucus ex Hydropis Ascitæ curatione innotuit. Videantur illib. ea, quæ pro fomentatione pedum ex decocto folior. in Lixivio præscripta sunt.

Cum

Cum verò hæ fomentationes plurimis tædiosæ esse soleant, sufficiat folia Sambuci tùm recentia, tùm exiccata tibialibus infarsa cotidiè gestare. Cujus etiam remedii licet simplicissimi usu tamen diuturniori ex consilio Generosi & Nobilissimi cujusdam Equitis Misnici, Amplissimum quendam & magni nominis *JCtum* optimè convaluisse ex illo cognovi, in cujus præsentiâ post aliquot annos Vir Amplissimus hoc non satis prædicare potuit.

III. *De Scirrhis.*

Scirrhi curatio ex obstructione scirrhosâ splenis aliquatenus ediscenda.

Sunt qui sola Sambuci folia, in emolliendis & discutiendis tumoribus scirrhosis ex signaturâ, & quod Sambucus locis opacis & umbrosis gaudeat,

gaudeat, plurimum præſtitiſſe re-
ferunt: qua de cauſſa & ſupra e-
iiſdem Ceratum Spleneticum com-
poſitum & adductum fuit cap. 23
quod etiam hiſce tumoribus utilite-
applicari poteſt, inunctis prius ho-
vel ſimili unguento:

℞. *Olei florum Sambuc.* ℥ j.
*Ammoniac. in Aceto ſam-
bucin. ſolut.* ʒ ij

Coq. igne lento ad aquoſitat. con-
ſumtionem. Adde ſub. fin. Ceræ
alb. par. F. l.a. Unguentum.

CAPUT XXXI.

De Vulneribus, ulceribus & contuſionibus.

MAgnam Sambuci vim eſſe eti-
am in hiſce affectibus vulne-
ribus comprimis & ulceribus, nemo
ſanè

ſanè inficias ibit, qui ea, quæ ex Dioſcoride & Galeno ſupra allata ſunt, perpenderit.

Curatio Vulnerum.

Vulgus folia Sambuci, quæ pridiè Calendar. Majalium ad effaſcinationes ſagarum amoliendas, pro Amuleto oculiferio Valvis feneſtrarum, januarum portarumq; ſuperſtitiosè affixit, pro ſecreto in quibuſlibet vulnerinus agglutinandis aſſervat. Sed quantum huic opinioni tribuendum ſit, quilibet videt: Cum enim folia Sambuci in ſanandis vulneribus per ſe efficacia deprehenſa ſint, plebs ſtolida ac ſuperſtitioſa hujus rei facultatem vanæ ac impiæ ſuæ ſuſpenſioni aſſignat: Quaſi verò halitus quidam Colleticus aut Sarcoticus à Sagis & Lamiis illis delibutis in eadem ſeſe inſinuaſſet. Sed tranſeant hæc cum

cum cæteris ineptientium anicularum deliriis.

Balſamum Vulnerarium.

Ad vulnera citò & tutò conſolidanda tale eſt: Accipe folia Sambuci tenera ac recentia, contunde ſuccumq; fortiter affuſo pauco Vino exprime. Accipe ſucci hujus depurati, quantum vis, adde Olei infuſionis florum æquam portionem. Coque igne prunarum lucido continuè ſpatulâ agitando ad aquoſitatis conſumtionem.

Poſtea R. *Olei ita præparati* ℥ *iiij vel v.*
ex baccar. arill. expreſſi ℥ *ij.*
Therebinthin. Venet. pellucid. ℥ *iij*
Virid. Aëris ʒ *iij.*

Optimè ſpatulâ ſuper igne lento miſta

mista stent per octiduum in Sole vel alio loco calido, ut feces subsidant, à quibus purum balsamum separandum; quod calidiuscule Vulneri cum bombace inditum, linteisq; obvolutum multorum pretiosissimorum Vires æmulabitur. Potest etiam addi Ol. Saccharo Sambucin. ℥ *s*.

Emplastrum ex Balsamo.

Quod si Ceram hujusdem Balsami sufficienti quantitate parum emolliveris, utile habebis Emplastrum, quod linteis secundum artem inductum & impositum vulnera citò consolidabit.

Hæmorrhagia nimia ut sistenda.

In sistendo sanguine commendatur Tragéa granorum Actes, cui æqualis

qualis portio pulveriſatarum ſpon-
giolarum admiſceatur.

Vel fiat talis Pulvis :

℞. *Trageæ granor. Actes*
Spongiol. Sambuc. exiccat.
ana ℥ iij.
Album Ovi in ☉le exicc. ℥ ij.
Medull. Sambuc.
G. Tragacanth. puriſs. an. ℥ j.

Unumquodlibet per ſe ſubtiliſſim-
pulveriſetur, poſtea miſceantur ex-
actè.

Uſus : Sanguine ſpongiâ imbibi-
to, & quantum fieri poteſt exicca-
to, inſpergatur Vulneri de pulvere
præſcripto ſufficiens quantitas :
quod ſi primâ operatione non ſuc-
ceſſerit, Vulnus iterum ſpongia ex-
iccetur, denuoq; pulvis inſperga-
tur, linteisq; concerptis & infarſis
obfirmetur.

Punctura

Puncturæ Nervorum.

In puncturis & vulneribus Nervorum *Oleum* infuſionis florum plurimum laudari teſtatur cum experientia quotidianâ Chirurgus ille non incelebris Johann. d. Vigo lib. 7. Chirurg. § de Sambuco.

Laudatur & Oleum florum deſcriptionis ſecundæ & Balſamum ſeu Emplaſtrum ex Balſamo modò deſcripto paratum & ſuperimpoſitum.

CURATIO ULCERUM.

In ulceribus perverſis profundis, & quæ in cavernas dehiſcunt, id eſt fiſtuloſis ac ſincroſis agglutinandis folia Sambuci prodeſſe Dioſcorides edocuit.

Εὐπόριστον.

Adhibeatur ergò hic vel ſolus ſuccus inſtillatus, cum Vino tamen vel

pauca

paucaUrinâ expreſſus,& poſtea im-
ponantur folia contuſa inſtar Em-
plaſtri, quod plebeum eſt reme-
dium.

Vel fiat tale Linimentum:

℞. *Balſam. Sambuc. vulner.* ℥ j.
*Fol. ſambuc. ſubtilis. pulve-
riſat.* ʒ j.
Virid. æris ℈ ij.
Salis Sambucin. ℈ j.

Miſceantur omnia exactè pro Lini-
mento: de quo indies aliquid cum
petiis in ulcera impura ac fiſtuloſa
immittendum, emplaſtrumq; con-
veniens ſuperimponendum.

Injectiones & elutiones ulcerum
profundorum ac putridorum con-
cinnentur, ubi opus fuerit, ex foliis
& Corticibus in Lixivio & Vino
decoctis: quæ egregiè extergunt
putredinemq; inhibent. Adhibean-
tur antequam nova fiat deligatio,ut

ſorde-

ordes à ſuperiori medicamento abterſæ & relictæ ſimul eluantur.

In Ulceribus ichorem illum, quem Paracelſus Synoviam, noſtri Chirurgi communiter, ſed ineptè *das Gliedwaſſer* appellant, exudantibus eructantibuſque, utile eſt inprimis Balſamum Vulnerarium calidè inſtillatum, cum moderatè ſiccet, & partium Vulneratarum ſubſtantiam ſalubrem conſervet. Superinſpergi poſtea poſſunt pulveres ex medullâ exiccata & ſpongiolis ſambuci parati, quibus à nonnullis magnæ tribuuntur laudes. Gabel Khoverus hoc habet:

℞. *Medull. Sambuc.* ℥ ij.
Cortic. Aurantiorum ℈ s.

Miſceantur pro pulvere, qui vel inſpergendus, vel manè, jejuno ventriculo, aſſumendus.

Idem recipit florum Sambuci q.

ſ. frigat in butyro, & bis vel ter ap-
plicat.

Vel loco potionis Vulnerariæ his aliiſvé ulceribus nimium flu-
dis exhibe cotidie de ſeq. pulve-
drachmam unam, vel ſeſquidrach-
mam in Cereviſiâ calefactâ, & bu-
tyro parùm condita.

℞. *Medullæ Sambucin.* ℥ *iij.*
Spongiol. Samb. exiccat.
Ocul. Cancri præp. ana ℥ *ij.*
Cortic. Aurantior.
Citri.
Nuc. Moſchat. ana ℈ *j.*

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

In dilatandis Vulneribus ulce-
buſvé, apertiſque ſervandis Fonti-
nellis, conveniens eſt medulla Sam-
buci; Dum enim ſubſtantiâ σπογγ-
ώδει humores imbibit, dilatatur, la-
biaque & latera vulnerum ulce-
rumque diſtendit.

Curati

Curatio Contuſionum & Attritionum.

In partibus contuſis ſeu conquaſ-
atis ſuccus foliorum ſambuci cum
Vino expreſſus & illitus, vel linteis
mbibitus & applicatus ſanguinem
veſcentem diſcutit, parteſque
onquaſſatas roborat.

Vel ℞. *farin. flor. Sambuci ℥ ij.*
Chamomeli.
Abſinthii an. ℥ s.

Miſta cum Oleo Sambucino ſubi-
antur, ut fiant inſtar Cataplaſma-
is, quod partibus contuſis indies
pplicetur.

Ad vibices & ſagillationes reſol-
endas accommodum eſt Oleum
nfuſion. florum pro litu.

In Intertrigine, *Wenn man ſich wund und fratt gerieben hat*, utilis
ſt inunctio ex Linimento Plateri
vel Matthioli, inſperſo inſuper pul-

vere foliorum Sambuci instar polli-
nis subtilissimo.

Vel fiat talis pulvis Magistralis
qui etiam recens editorum infanti-
um emunctoriis, post aures, nimi-
rum, sub alis, & in inguinibus com-
modè inspergitur.

℞. *Pulv. folior. Sambuci* ℥ *s.*
flor. ejusdem.
Rosar. rub. an. ʒ
Misceantur pro pulvere, qui inspe-
sus serum absumit, & loca ista exi-
cat.

CAPUT XXXII.

De Ambustione & Congelatio- Partium corporis.

TOPICA.

FOlia recentia ac tenera cum p-
lenta illitâ ambustis succurre
retulit Dioscorides.

Ab Authoribus commendantur ſequentia :

1. Oleum infuſionis florum Corticúmve.

2. Oleum ex foliis & corticibus in butyro & Oleo frixis.

3. Linimenta duo : quorum prius à Matthiolo, àlterum à Platero maximè prædicatur.

Quorum omnium componendi modum videbis ſupra ſectione, 2. capite 2. & 4.

Uſus : Membrum flammâ, pulvere pyrio, Oleo, Aquâ ferventi, aut alio quocunque modo ambuſtum, iiſdem mox blandè tepidéque illinatur, & poſtea linteis mollibus ac attritis involvatur. Habent enim ſingula vim cutem rarefaciendi, vapores calidos eliciendi, dolorem mitigandi, ſerum affluxum digerendi, & exiccandi, veſiculas & e-

nata ulcuſcula ſanandi, locumq;
affectum, quantum fieri poteſt,
tori priſtino reſtituendi.

Quod ſi aduſtio profundius p
netraverit, ita ut ruptis jam veſic
eſcharaque ſublatâ, in ulcus deg
neret, præter olea & unguenta n
cenſita, parti exulceratæ leviter
leniter quotidie inſpergatur pulv
foliorum & Medullæ Sambucin
qui egregiæ ſiccando, modiceq;
abſtergendo ulcus carne expleb

In hoc caſu oleis ipſa linimen
utiliora ſunt, uti id diligens ingr
dientium examinator facile agno
ſcet.

Sequens quoque *Unguentum*
tanquam experimentum ſingular
in omni aduſtione cum exulcera
tione à quavis materiâ facta com
mendatur à Clariſs. Dorncreill
in Diſpenſatorio ſuo cap. d. Ungu
ent. p. 105. Leni

Lenire enim dolorem, caloris vim exstinguendo, ulceraque citó ac tutissimè sanare: Feliciter etiam posse applicari Herpeti miliari, & aliis exulcerationibus, quæ à bile flava aut salso humore proveniunt.

℞. *Cordic. medianar. Tiliæ.*
Sambuc. ana M. j.
Semin. Lini ℥ j. s.

Cortices minutim incidantur & infundantur unâ cum semine in s. q. Aq. Florum Sambuci, tepidè per horas tres: deinde adde

Stercoris ovilli ℥ s.

M. & coquantur in duplici vase in Butyri Majalis & insulsi, & aliquoties Aquâ fontanâ, & tandem Aquâ Florum Sambuci toti ℔ s. ad perfectam humiditatis seu mucilaginum consumtionem, & colentur & addatur Ceræ citrinæ q. s. M. & fiat l. a. Unguentum. Verba sunt

Dorncreilii loc. citat.

Quod ſi Ulcus reddatur impu-
rius, conſulenda ſunt ea, quæ cap.
præcedenti propoſita fuerunt.

Utile etiam hic eſt *Lac aureum*
linteis imbibitum & applicatum, de
quo in Curatione Eryſipelatis
cap. 29.

INTERNA.

Quando partes plures aut mem-
bris principalib. viciniores adurun-
tur, exinde calor quidam p. n. in
toto corpore ſeſe exerit, conſulen-
da ſunt ea, quæ in curatione febri-
um ardentium propoſita fuerunt.
Vel fiat tale Julapium.

℞. *Aqua. flor. Sambuci* ℔. *s.*
Syrup. Acetoſ. Sambucin. ℥ *ij*
C. C. U. præpar. ℈ *ij.*

Miſceantur pro duabus doſibus.

Sanguinem namque ac Spiritus
incaleſcentes

incaleſcentes refrigerat, ſitim extinguit, empyreuma diſcutit, & Vires roborat.

Curatio Congelationis.

Partibus congelatis corticem medianum Sambuci, vel linteum decocto horundẽ maddium ſuperimpone. Quando in rimas dehiſcunt commendatur pulvis ex Corticibus, medulla & floribus Sambuci parandus, qui cum oleo infuſionis florum in formam linimenti redigendus, quo partes illæ indies inungantur. Superimponatur quoque linteum, quod *Lacti aureo ſambucino* cap. 29. deſcripto immerſum eſt. Exiccat enim & putredinem gangrænamque imminentem ſingulariter cohibet.

Plura videantur in curatione ulcerum.

CAPUT XXXIII.

De Venenis Corpori tum inflict[is] tum Propinatis.

IN ictu Venenatarum bestiaru[m] folia recentia sambuci illita la[u]dantur, quod Venena attrahan[t] vulnusque siccent.

In canum morsibus eadem fol[ia] contusa & illita speciatim co[m]mendat Dioscorides.

Georg. Amwald Rohob Sam[]buci in Aceto & Vino dissolver[e] eodemque locum ictu vel mo[r]su Venenatorum animalium la[]ceratum fricare & eluere manda[t] in tractatu de Panacea suâ pag. 21.

In ictu Vesparum & Apum adhi[]be pro litu Oleum infusionis florũ vel è baccarum arillis expressum

foli[]

foliumq; ſuperimpone. Dolorem mitigat, & ut brevi tumor ſubſidat & evaneſcat, efficit.

Ad Venenum, quod à Viperarum morſibus corpori infligitur, inhibendum, præter recenſita Topica, jubet Dioſcorides radicem Sambuci in Vino decoquere, colaturamq; bibere.

Eaſdem Vires fructui cum Vino poto attribuit.

Præſtet & Vinum baccarum adhiberi. Vel uſurpentur Rohob ſeu ſucci inſpiſſati drachmæ duæ, aut Extracti hujuſdem totidem ſcrupuli in Aq. Hor. Sambuci, ſudorq; provocetur.

In Philtro, quo ad amorem conciliandum nefariæ ſolent uti meretriculæ, aut aliis Venenis propinatis aut aſſumtis, nihil præſtantius eſt, quàm ut, quamprimum vel leviſſi-

ma

ma suspicio oboritur, ea omnia, qu[illegible] vel ex esculentis, vel potulentis a[illegible] sumta sunt, per vomitum rejicianti[illegible]

Exhibe ergo Olei infusion. fl[illegible] rum vel Corticum Sambuci unci[illegible] duas vel tres in Aquâ tepida, & vo[illegible] mitum accelera.

Vel ℞. Olei è baccarum arill[illegible] expressi cochleare mediocre: Pro[illegible] pina in Cerevisiâ calefactâ.

Hoc enim modo quicquid viru[illegible] lentum in Ventriculo substiterit, fe[illegible] liciter excludetur, Venenorumc[illegible] corrositra acrimonia attemperabi[illegible] tur. Repetatur, si opus fuerit.

Quo facto, postea sudorem proli[illegible] ce, ut id, quod Venas jam subieri[illegible] (humor enim quo malignior, eò pe[illegible] netrantior, ac instar fermenti to[illegible] tam massam sanguineam brevi per[illegible] meat) per sudorem evacuetur.

Proderunt hìc, quæ suprà in cura[illegible]

tion[illegible]

tione Peſtis adducta ſunt, Rob. ſimplex &Antiloemicum, Extracta eorundem, &c. De quibus pro ratione ætatis ac virium, quantum ſufficit in Aquâ deſtillata florum Sambuci alióve convenienti liquore diſſolutum exhibe.

Et cum rarò malignitas unâ vel alterâ vice edometur, quin potius ſub dolocâ ſervitutis ſpecie, acſi jam evicta, *Naturæ* juſſa capeſceret, per cuniculos, reſiduis inquinamentis, in Naturæ bona graſſari, eademq; ſenſim ac pedetentim ſibi ſubigere proſternereq; ſoleat: Idcirco horum Alexiteriorum uſus tam alto intermittendus non eſt, ſed potius aliquouſq; continuandus, quò omnes Venenatæ ac malignæ impreſſionis reliquiæ, penitus è corpore extirpentur. Utilis eſt hìc talis mixtura.

℞. *Con-*

℞. *Conſerv. flor. Sambuci.*
Borrag. an
q pl.

Miſceantur. Exhibeatur inde inc[illegible] unciæ dimidium horâ unâ vel alt[illegible] ante prandium, cochleareq; un[illegible] Syrupi de ſucco baccarum Samb[illegible]ci ſuperbibatur.

Septimanatim quoq; drachm[illegible] duas Rohob Sambuci in Aquâ f[illegible]rum Sambuci exhibe, & ſudor[illegible] in Lecto aut Balneo provoca. P[illegible] ſudorem ad calorem attempera[illegible]dum detur cochleare unum vel [illegible]terum Syrupi Acetoſi ſambucini.

A quibuſdam ſequens *Experimentum* laudatur. ℞. Corticu[illegible] Medianorum Sambuci ſubtiliſſin[illegible] deraſorum, & in umbra leniter e[illegible]iccatorum Manipulum paulò pl[illegible]niorem: Superaffunde Lactis c[illegible]prilli recenter mulcti Menſuram d[illegible]midia[illegible]

nidiam ſeſquilibræ, vel circiter, capacem. Decoq. igne lento ad conſumtionem dimidietatis: De cujus colaturâ mane & veſperi bibatur. Prædicatur omne venenum à Meretricibus & aliis ſceleratis homunculionibus in cibo potúve, ante triennium quamvis propinatum, funditus extirpaturum. Quod ſi primâ vice ſucceſſum non perſenſerit Æger, repetatur, nec dubium, quin tandem, divina volente & juvante Gratia, eventus exoptatus ſit ſubſecuturus.

CONCLUSIO.

ATq; hæc fuerunt, Lector Benevole & Candide, quæ de *Sambuco*, ejuſvé uſu in Medicinâ maximo curſoriè proponere volui. Edulia, quæ ex floribus & baccis eo tempore, quæ eorundem recentium habetur

habetur copia, ad varios morb
præcavendos utiliter parari & usu
pari possunt, hîc expressè non att
cum Coquis ex quotidiano usu si
plus quam notissima, & in quib
affectibus competant, ex superio
bus unicuivis ad oculum satis p
teat. Quod si quædam Tibi l
occurrerunt, quæ minus placueri
Tuum erit benevolè ac humani
ea interpretari, ferulamq; censo
am tamdiu cohibere, donec exac
us omnia ad infallibilem Ratio
& Experientiæ trutinam expend
ris.

Et veniam pro laude peto, laudatus abu
Non fastiditus si tibi, Lector, ero.

Si quædam omissa, quædam o
scurius aut minus rectè tradita, p
limatiore tuo judicio, addider
illustraveris, correxeris, à me
omnibus Medicinæ Naturæq; cu

toribu

toribus gratiam magnam inibis. Nihil enim poteſt eſſe beatius quàm multa ſcire: diſcendum verò ut ſciamus. Nec unquam ita quisquam benè ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet novi, aliquid moneat; ut illa, quæ te ſcire credas neſcias, & quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies. Homine verò imperito nunquam quicquam injuſtius, qui niſi quod ipſe fecit, nil rectum putat. Benè Vale, & fave quisquis es, mecumq; in admiranda hac &exhauſta rerum Naturalium varietate, inperſcrutabilem Divinæ *Sapientiæ* & *Bonitatis* Abyſſum devote ſuſpice & piè venerare.

ANA-

ANATOMIÆ SAMBUC[I] INDEX.

Sectio Prima.

Sectio Secunda.

Capu[t]

SECTIO TERTIA.

9. de

Me-

Medicamenta præter ſuperius in Sectione ſecundâ deſcripta & recenſita, in *Praxi* ſeu Sectione tertiâ de novo deſcribuntur potiſſimum ſequentia.

14. *Oleum*

INDEX.

FINIS.